PA 8518
.W6
1872
Copy 1

PA 8518
.W6
1872
Copy 1

ERASMI ROTTERDAMI STUDIIS IRENICIS.

DISSERTATIO HISTORICA

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES AUCTORITATE
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE FRIDERICIA GUILELMIA RHENANA

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT ET UNA CUM SENTENTIIS CONTROVERSIS

DIE XX. MENSIS JULII A. MDCCCLXXII

PUBLICE DEFENDET

PHILIPPUS WOKER
GUESTFALUS.

17397

ADVERSARIORUM PARTES SUSCEPERUNT
DR. GEORGIUS WESENER.
GUILELMUS LAUFENBERG.
AUGUSTUS LIBER BARO DE WENDT.

PADERBORNAE.
TYPIS EXPRESSIT F. SCHÖNINGH.
MDCCCLXXII.

PA8518
.W6
1872

VIRO EGREGIO

FRANC. GUILELMO KAMPSCHULTE

SACRUM.

Vita.

Philippus Woker natus sum Briloniae, in oppido Guestfaliae, anno MDCCCXLVIII d. 21 mens. August. patre Francisco Antonio, matre Gertrude e gente Auffenberg. Briloniae undeviginti primos vitae annos degi, frequentavi gymnasium, quod ibi floret. Testimonio maturitatis instructus auctumno anni MDCCCLXVII Bonnam me contuli, ubi civibus universitatis adscriptus per continua sex semestria studiis me dedi praecipue historicis. Deinde belli motibus varie turbatus per maximam septimi et octavi semestris partem Bonna abfui. Audivi viros doctissimos: Diez, Jahn, Kampschulte, Lassen, Neuhaeuser, Reusch, Schäfer, Springer, a Sybel, Treitz, Usener. Praeterea Kampschulte, Schäfer, a Sybel, seminarii historici directores, per octo semestria ad exercitia in seminario habita me admiserunt. Omnibus, quos enumeravi, praeceptoribus optime de me meritis gratias ago, quas debeo, maximas, imprimis vero Franc. Guilelmo Kampschulte et Josepho Neuhaeuser.

Sententiae controversae.

1) Verisimile est, duodecim tabularum leges omnes a priore decemvirorum collegio compositas esse.

2) Sanctus Hermenegildus apud Hispanos martyrii gloriam demum inde a Sec. XII adeptus est.

3) Quam maxime politicis actionibus effectum est, ut oriretur liber Ratisbonensis, ut haberetur et quo modo institueretur colloquium Ratisbonense.

4) Ut Calvinus in Germania commorans auctoritate apud evangelicos Germaniae theologos magnopere valuit, ita nonnusquam ordinationes, quas Genevam reversus (a. 1541) promulgavit, Germanicorum theologorum opinionibus adaptasse videtur.

5) Inter actiones pacis Guestfalicae Fridericus Guilelmus, magnus Brandenburgiae elector, solus fuit Germanicus princeps, qui Francogallorum superbiae audacter restitit.

Prooemium.

Bonae literae exeunte medio aevo renatae a theologis scholasticis acerrime impugnabantur, ab iis autem, qui etiam alias ob causas praesente rerum statu non contenti erant, ardenter fovebantur. Itaque pugna inter scholasticos et humanistas inevitabilis facta est; neque poterat haec pugna esse solum literaria. Quum enim scholastici caeca tenacitate depravatas suas doctrinas defenderent atque ecclesiae propugnatorum partes agerent, adversarii autem abusus et corruptelas vitae ecclesiasticae ita impugnarent, ut ecclesiae auctoritas atque ejus doctrinae in magno essent periculo, jam exorta erat hominum dissensio rebus ecclesiasticis periculosa.

Sine certo consilio ac fine haec opinionum pugna primo facta est, atque hoc tempore etiam Erasmus omnino oppositionis viam ingrediebatur.

Conjugio illegitimo natus erat, nam propinqui patrem, priusquam matrimonium contraxisset, peregre clam proficisci coegerant et postea adduxerant, ut collegio monachorum accederet. Erasmum ipsum eodem non propensa voluntas, sed, quum parentes immature mortui essent, tutorum adhortationes compulerant; Busci ducis non sine morum damno [1]) vitae monasticae depravationem expertus erat. Fortuito ab hac molesta vita liberatus quum aliquamdiu Parisiis commoraretur, occasionem nactus est minus desideratam, qua se taedio impleret scientiae scholasticorum theologorum, quorum scholis diutius intererat. Postea longis migrationibus Europae magnam partem perlustrans plurimarumque nationum doctis viris crebris literis conjunctus inde et aliunde cognovit, in quo res ecclesiasticae statu essent.

Quae ita tenera juventute et matura aetate viderat atque audiverat, animum mordaci adversus praesentem rerum statum acerbitate implebant, studia ad alium, quam quo tendere consueverant homines, finem dirigebant: Semper ab aliis impeditus, nunquam adjutus, paene ubique iis, qui circa eum erant, se opponens ingenii voluntatem jam puero Hegii scholis infixam

---

[1]) Knight: Leben von Erasmus 1736 p. 9; dissimulare ibi didicit.

secutus est, quae „velut occulta naturae vi rapiebat ad bonas literas.“ [1]) Mira diligentia ac rarae dotes naturae adeo ejus studia adjuvabant, ut ab externis vinculis tandem liberatus vir perfecte planeque eruditus exsisteret, homines eloquentia, diligentia, studiorum amplitudine stupefaceret ac tum doctrinae principatum cum paucis tantum viris haberet communem. Inde ab hoc tempore omnes, quos poterat, labores in bonas literas impendebat, impigre eas locupletare studebat et a pugna contra scholasticos, proximos earum adversarios, proficiscens etiam doctrinam theologorum et ecclesiae statum aggrediebatur. Ipsius vitae peritia doctus, instructus armis acutissimis cavillationis et eloquentiae perfacile fluentis castigabat depravationem, stoliditatem monachorum aliorumque clericorum irridebat, exprobrabat abusus vitae ecclesiasticae, insulsitates doctrinarum theologicarum. Sed in pugnando effervescens aequitatique in vituperatione parum consulens, ab omni theologicarum disciplinarum studio semotus, inductus etiam studiis frivolis, quae omnia deturbabant, praecipue humanistarum Italicorum, stimulatus plausibus undique auditis haud raro sententias ecclesiae auctoritati periculosas, immo religionis christianae dignitati nocentes protulit. Quae res dilucide cernuntur maxime in libro Erasmi, quem „Encomion Morias“ inscripsit.

Cap. I.

Quibus causis Erasmus ad studia irenica adductus sit, explicatur.

Nihilo minus idem liber ultimus est eorum studiorum, quae in negatione potissimum et vituperatione versantur. Quum enim Encomion Morias in lucem prodiret, Erasmus in Anglia commorabatur, ubi consuetudine utebatur virorum, qui ut ipse amore bonarum literarum inflammati erant, ut ipse temporis doctrinam ecclesiasticam despiciebant, qui, quum optime eruditi essent et vitam piam moribusque puris ornatam degerent, eo omnibus viribus contendebant, ut theologiae formam emendatam, ecclesiae faciem puriorem ac digniorem redderent, ut vitae pietatis bonorumque morum ornamentum instaurarent. His viris ecclesiae doctrina scholasticorum dogmatis corrupta, pietas cerimoniarum artificiosa observatione depravata videbatur. Quare simplicitatem tam vitae quam doctrinae primum concupiscebant, quam pure expressam cognoscebant in sacra scriptura. [2]) Ad hanc intelligendam bonis literis videbant praeparari, quibus

---

[1]) Catalogi duo operum Erasmi ed. Antwerpiae a. 1537. 8° fol. A 6.
[2]) Similiter in Gallia Faber Stapulensis docebat: „C'est que ne

propagatis etiam aliis in rebus scholasticarum ineptiarum auctoritatem interituram esse sperabant. Itaque hi viri vituperabant quidem, sed etiam, quomodo res vituperatae corrigi possent, demonstrabant: bonis literis theologiae studium adjuvari, ecclesiae utilitatem adferri volebant. Eorum numero praecipue adscribendi sunt Coletus [1]) et Thomas Morus. [2]) Quum autem Erasmus his familiariter uteretur, non poterat pergere alienus esse ab eorum studiis pacificis, [3]) atque eo facilius amici Angli Erasmum nacti sunt studiorum socium, quod etiam alia causa eodem perducebatur, quo ipsi vocabant.

Erasmus enim quum esset natura debili atque tranquilla, animo cauto, immo timido, non is erat, qui fervore ac tenacitate pugnam periculosam susciperet. Quamdiu non certus adversarius ei obstabat neque certae factionis signifer prodibat, quamdiu ipse tutus publicaque tranquillitas inconcussa permanebat, tam diu cedere irae et innatae animi libidini, qua res serias vertere in jocum solebat, licere arbitrabatur. Quum autem Reuchlini certamine factionum aperta divisio facta esset, [4]) quum jam ordine et consilio de certis rebus a certis viris pugnaretur, quum res quaedam, quae haberi potest exigua, [5]) eo adduxisset, ut utrimque omnia moverentur remedia ac jam in

---

savoir en dehors de l'évangile, c'est savoir tout." cf. Herminjard: Correspondance de Réformateurs dans les pays de la langue française. Genève et Paris 1866 vol. I p. 90. Quare profitetur: „Depuis le temps de Constantin .. l'église primitive peu à peu dégenerée perdit tout à fait son charactère" et studet, ecclesiam „ramener à l'image de cette église primitive." ibid. p. 93.

[1]) Simplicitatis studium Coletus usque ad stilum promovit. Erasmus de poëmate quodam, quod in Anglia scripsit, dicit: „Id scriptum est stilo simplicissimo. Sic enim jussit Joannes Coletus." (Catalogi l. c. fol. B). Ut animum suis studiis accommodatum infigeret hominibus, incepit ab educandis liberis: „Magnis impendiis novum ludum literarum instituerat, in quo non minus in pietate quam in doctrina volebat institui formarique pueritiam. Vir enim singulari prudentia praeditus videns seculum suum deploratissimum teneram aetatem delegit, ut novum Christi vinum novis utribus committeret." (Ibid. fol. B—B_2). De Erasmi cum Coleto amicitia cf. Jürgens: Luther vol. 3 p. 266 et Müller: Erasmus von Rotterdam. Hamburg 1828 p. 119.

[2]) De Thoma Moro dicit Erasmus: „Verae pietatis non indiligens cultor est, etiam si ab omni superstitione alienissimus." (Böcking: Hutteni Opp. vol. I p. 284; a. 1859 Lipsiae ed.).

[3]) Catal. l. c. fol. C_3 Thomae Moro „studiorum sodali." „Encomion Morias" Mori studiis non accommodatum scripsit Erasmus quidem in ejus domo, sed primis commorationis diebus et animo jam plane conceptum.

[4]) Mutianus non multum post ortum certamen dixit: totus mundus in duas dividitur factiones. cf. Hagen: Deutschlands literärische und politische Verhältnisse ꝛc. Erlangen 1841 vol. I. p. 430.

[5]) de libris Judaicis concremandis inter Reuchlinum et Pepricorneum rixa exorta est.

quaesitorum fidei tribunali res versaretur, tum quidem Erasmi amor idem permanebat erga eos, quorum causam cum bonis literis arctissimo vinculo conjunctam esse sciebat,[1]) neque cunctatus est uti tota sua familiaritate, ut amicorum Reuchlini numerum adaugeret[2]) et Romae gratiam pro Reuchlino rogaret,[3]) sed quum necesse esse cognosceret paci studere, Reuchlinum praemonuit cavendum esse, ne modum excederet,[4]) ne aperte calumniaretur, operam navavit, ut certamen Romanae sedis auctoritate sedaretur.[5])

Ita Erasmi animus propensus efficiebatur ad studia amicorum Anglorum; cognovit tempus esse aedificandi, pugnas ac rixas Germanorum amicorum evitans omnino se dedicavit studio rerum theologicarum et instaurandorum morum honestorum piorumque.[6]) Horum studiorum fructus prodierunt: Interpretatio primi Psalmi, qua tota fere christiana ethica continetur et quam necessarium sit studium sacrae scripturae explicatur. atque a. 1516 quasi compendium suae theologiae editio novi Testamenti.[7])

Dum autem Erasmus tranquilla et assidua diligentia in novo argumento studia ponit, certamine Reuchlinico orta animorum concitatio in dies periculosior facta est. Iracundia utrimque adaucta tandem Reuchlinistarum animos ad violentum adduxit ardorem, ex quo epistolae illae obscurorum virorum

---

[1]) Er. epp. (Er. Opp. Tom. III ed. Le Clerc Lugduni 1703 — ubi non expresse alia nominatur, ibi semper adhibita est haec editio —) p. 144 ep. ad Grynaeum.

[2]) Amicos Reuchlini ita arcessitos appellat Coletum et episcopum Fisher cf. Illustrium virorum epp. P. II fol. s_{III} ed. Hagenovae 1519. 8° Böcking Hutt. Opp. l. c. vol. II p. 279—80. Spongia Erasmi adversus adspergines Hutteni.

[3]) Er. epp. p. 144 ep. ad Card. Grimanum, partim etiam apud v. d. Hardt: historia literar. Reformationis vol. II p. 14—15 typis expressa; Er. epp. p. 146 ep. ad Card. St. Georgi; ibid. p. 154 ep. ad Leon. X.

[4]) Illustr. vir. epp. l. c. II fol. s_{III}.

[5]) Er. epp. p. 144: „Absurdum est, eruditos viros libris ac jurgiis conflictari.“ Cui autem pugnae culpam tribuat, cognoscitur e verbis, ex ea re damnari Reuchlinum, „quae meo sane judicio vel ipsam asini umbram superat, in quam exstat jocus proverbialis.“ Similiter ibid. p. 146 loquitur.

[6]) Hoc tempore scripsit librum hunc prae se ferens finem: Concionem de puero Jesu „rogatu Joannis Coleti“ cf. Catal. l. c. fol. C_{III}.

[7]) Annotationes ad nov. Test. a Laurentio Valla compositae, quas jam antea ediderat (1505), saepius eum in componendo hoc libro adjuverunt (de Laurentii Vallae apud Erasmum auctoritate cf. Müller: E. v. R. p. 120—24); sed quomodo et hic amicorum in Anglia viventium ei adfuerint consilia, Erasmus postea probat dicens, se consilium, quod primum cepisset, brevissimas tantummodo annotationes textui asserendi mutasse obsequentem horum amicorum auctoritati (Catalogi l. c. fol. B_3).

profluxerunt, quarum prior pars eodem atque Erasmi novum testamentum anno edita est. Quo libro Erasmi nova studia omnino firmata sunt. Ab Erasmi animo modico ac tranquillo, ab ejus studiis, quae novarum rerum victoriam non subito ac violenter, sed successiva veterum rerum correctione comparare volebant, omnino abhorrebat comprobare impetum illum contra praesentem rerum statum tumultuarie factum atque hostilem animorum ardorem, quo auctores eo usque erant concitati, ut ipsa sacra prosternerent et eo modo rem gererent, qui concordiae reconciliationem vanam reddidit. Ut igitur de epistolis obscurorum virorum sententiam dixit minime comprobantem, [1]) ita etiam hoc libro plane eo perducebatur, ut in omne posterum tempus studiorum conjunctio cum iis, qui oppositionis spiritu nimis longe proferebantur, omnino solveretur et ipsius studia ad sananda mala directa etiam majorem acciperent ardorem ac fervorem. [2])

---

[1]) Er. epp. p. 1622—23 (Appendix) ep. ad Caesarium a. 1517: „Magnopere displicent epistolae obscurorum virorum;“ ibid. p. 1626: „scit tota sodalitas Basiliensis, mihi semper displicuisse epistolas, quas inscripserunt obscurorum virorum:“ ibid. p. 1626: „At isti, quicunque sunt, non contenti sic ineptisse, addiderunt alterum illi similem libellum“ etc. Similiter: Spongia Er. ap. Böcking Hutten. Opp. l. c. vol. II p. 277—78.

Erasmus eo magis commovebatur, ne retineret judicium, quod auctores epistolarum etiam Erasmi studia theologica cum suis consociarunt studiis: Hochstratus in prima epistolarum parte Roma scribit, se audire, Erasmum componere theologica; id periculosum esse, quum ipse non sit in Germania, sed „si ego“, inquit, „venio ad Allemanniam et lego suos codiculos et invenio unum parvissimum punctum, ubi erravit, aut ubi non intelligo, ipse debet videre, quod ego volo sibi super cutem.“ Epp. obsc. vir. P. I p. 135 ed. Francofordiae 1757 vol. I. Simili modo Erasmus nominatur ibid. vol. I P. II p. 207, 267, 274, 282, 309, 315. In altera parte epistolarum magister Erfordiensis Ortuino Gratio narrat: „Magister sacri palatii vult probare, quod Erasmus est haereticus;“ papam, cui novi testamenti editionem dedicaverit, eam certo repudiaturum esse, quum Parisienses Moriam velint concremare. ibid. P. II p. 307.

Quamvis Huttenus postea Erasmo objiciat, (Expostulatio cum Erasmo Böcking Hutteni Opp. l. c. vol. II p. 198—99) Erasmum primo epistolas obsc. vir. laudasse, hoc tamen solum verum est, eum libro nondum edito unam epistolam minime periculosam, quam manu scriptam acceperat, laudasse. (Spongia Erasmi Böcking l. c. vol. II p. 277—78).

[2]) Epistolis obsc. vir. Erasmi animum ad moderationem commotum esse dicit Kampschulte: Universität Erfurt vol. I p. 227—28.

Er. incipit jam statim se excusare ob priorem intemperantiam, id, quod postea in ejus literis ac libris toties invenitur; dicit ex. gr. in epistolis p. 1622 et p. 1626 „Lusimus et nos olim in Moria; sed nullius nomen perstrictum est.“

Colonienses theologi hoc animi Erasmi mutatione usi sunt, ut ea Reuchlinistas gravi vulnere affectos pronunciarent in Lamentationibus obsc. vir. a. 1518 editis: humanistam quendam dicentem faciunt: „est acerbum a doctis viris contemni, acerbius a docto et sapiente. Quid multa? mag-

Igitur opinionibus amicorum Anglicorum, Reuchlinicae pugnae ardore jam eo tempore apparente, quo epistolae obsc. vir. nondum editae erant, adeo motus est Erasmus, ut consuetudinem solum vituperandi derelinqueret atque studio theologiae se daret. Quum epistolae obsc. vir. in lucem prodissent, etiam magis a pugnando abhorruit.

Quamquam autem a pugna humanistarum recessit, amor ejus bonarum literarum nullo modo imminuebatur. In quibus ornandis etiam inde ab hoc tempore suam insumens operam edidit Suetonium, perfecit Collectanea, Proverbia et Similia composuit. Sed haec studia tum solum habet utilia, si christianae religioni, si theologiae prosint: „Literas amas recte, si propter Christum, si literas expetis, ut illis adjutus Christum in arcanis literis patentem intelligas, accinge te ad studium literarum.“ [1]) Ita theologiae et novarum literarum studium conjunctum volebat, „ut inciperent tandem bonae literae Christum sonare.“ [2]) Qua conjunctione bonae literae animo Christiano implentur [3]) simulque theologiae salubres fiunt; vir enim iisdem instructus majore utilitate fontes, biblia sacra atque opera patrum ecclesiae perscrutari potest. [4]) Literarum scientia quam utilitatem afferret, ipse novi testamenti editione perfecta demonstraverat; tunc eandem rem probaturus incepit compositionem paraphrasium evangeliorum atque editiones nonnullorum ecclesiae patrum operum.

Ad quas de religione opiniones, ad quae judicia de sui temporis ecclesiae doctrina ac vita prolata animum adduceret, quae remedia proponeret, ut et doctrina et vita corrigeretur, sententiis hisce studiis comparatis definitum est. Neque ullam praetermisit occasionem, qua has opiniones, haec judicia, haec remedia pronunciaret; id, quod oratione maxime continua rationeque completissima fecit in „Enchiridio militis christiani“ [5])

---

nus ille Erasmus nos veluti pestem quandam detestatur, fugit, insequitur.“ (Lamentat, obsc. vir. in Epp. obsc. vir. l. c. vol. II p. 53. — Lamentationes a Coloniensibus, non a Reuchlinistis compositas esse elucet ex epistola ab Erasmo a. 1518 Hermanno Buschio missa: „demiror autem, non pudere theologos et sanctissimae religionis professores, tumultus istius modi concitare .... Quid lamentationibus illis aut ineptius, aut indoctius aut virulentius?“ Er. epp. p. 316 —)

[1]) Er. Opp. Tom. V Enchiridion militis christiani p. 25.

[2]) Er. epp. p. 836.

[3]) Timet, ne humanistae et literas et animum paganismi recipiant: „unus adhuc scrupulus tenet animum meum, ne sub obtentu priscae literaturae renascentis caput erigere conetur paganismus.“ (Herminjard l. c. vol. I p. 29).

[4]) Ratio seu methodus verae theologiae ed. Basileae 1520 p. 16—19.

[5]) Ut Enchiridion scriberet, commotus quoque est ab Anglis, composuit, ut Anglum quendam, hominem depravatum, ad melius vivendum adigeret. Catal. fol. C_4.

atque in „Methodo verae theologiae.“ Cognosci itaque potest, quale docuerit systema theologicum.[1])

Doctrinam intellexit obscuratam dogmatis scholasticis, pietatem obsoletam cerimoniarum cultu, vidit ecclesiae faciem deformem. Ita res praesentes pertaesus melioris temporis puriorem doctrinam, puriorem vitam desiderio prosecutus est. Qua in re iterum consentientes habebat amicos Anglicos, in primis Thomam Morum, qui moestitia animi affectus in tristi rerum statu gaudebat somniis melioris mundi, quem ut splendidum quoddam mentis aedificium in „Utopia“ descripsit. Talis mundi forma perfectissima Erasmo videbatur fuisse primaeva christiana ecclesia, ea ecclesia, „quam Christus nihil aliud voluit esse, quam coelestem quendam populum in terris ad coelestis civitatis imaginem viventem.“ [2]) Sine eruditione et divitiis communi fortunarum possessione juncti primi christiani vitam degebant nunquam discordia turbatam, simplicem, innocentem, puram, secundum pura ac simplicia Christi praecepta directam. His fere verbis primaevam ecclesiam christianam describit, sed paullatim, ait, vitae et doctrinae puritas adeo evanuit, ut non jam intelligi possit prima ecclesiae forma. Quomodo mala in ecclesiam irrepserint, et qua ratione restituatur vere christiana religio, saepius explicat:

„Primum irrepsit eruditio, velut idonea res ad confutandos haereticos.“ Deinde „sub praetentu profligandi haereticos subrepsit ambitiosa rixandi cupido.“ [3]) Tum postquam coepta sunt Aristotelis „decreta cum Christi doctrina adglutinari,“ postquam ille „in mediam theologiam totus receptus hujusque auctoritas paene sanctior quam Christi“ facta est, — „ab hoc didicimus non esse perfectam hominis felicitatem, nisi corporis et fortunae bona accesserint, non posse florere rempublicam, in qua sint omnia communia“ — tota Christi doctrina ethnicorum literis contaminata est, ut Christi jam decreta aut prorsus offendant, aut ad illorum dogmata torqueantur, ut quae omnium communis esse debet, a philosophiae ignaro intelligi

---

[1]) Ab hoc explicando initium mihi faciendum est, quum hac re disputationis fundamentum jaciatur, quumque etiam in describendo hoc systemate viam inveniam parum praeparatam. Etiam, qui postremo librum de Erasmo composuit, F. O. Stichart (Erasmus v. R. Leipzig 1870), quamvis plurimos ex Erasmi operibus promptos locos magnis diligentiae impendiis congesserit, viri naturam, ejus studiorum valorem accuratiore aequioreque judicio describere planiusque cognita animo comprehendere non valuit.

[2]) Polemos sive belli detestatio Coloniae 8° (editio sine anni numero et impressoris nomine; similitudine rerum hoc libro contentarum probatur, illum eodem tempore, quo „Querela pacis“, scriptum esse sc. a. 1517; cf. p. 12) fol. C_2.

[3]) Polemos l. c. fol. C_2.

nequeat.[1]) Longius etiam ad contaminandam ecclesiam perrectum est, ubi „recepimus nonnihil et a Caesareis legibus et evangelicam doctrinam ad eas, quoad licuit, detorsimus.“[2]) Denique honores ac divitiae ad clerum delata effecerunt ejus „tyrannidem, avaritiam, luxuriem.“[3]) Ita igitur ecclesiae mala orta sunt mixtis rebus coelestibus ac mundanis.

Quare haec mala sanari non possunt, nisi redimus ad veterem simplicitatem ac puritatem. Quae reperitur in sacrae scripturae doctrinis atque praeceptis,[4]) quae completissimum ac praestantissimum efficiunt systema theologicum.[5]) At theologia ex hoc fonte hausta praecipuum et proprium systema morale est,[6]) cujus praecepta quamvis simplicia observata animum purum atque pium, vitam virtutis sanctitatisque plenam efficiunt,[7]) homini parant coelestem felicitatem atque in terra populum praeparant ad coelestis ecclesiae imaginem viventem.[8]) Sacra igitur scriptura, quam omnes intelligere possunt,[9]) qui „animo pio ac prompto“[10]) eam legunt, ab omnibus legi debet,[11]) sed solum ea de causa, ut illa instructi vitam instituant, mores meliores reddant, vere christiana pietate impleantur.[12]) Vita itaque pia, secundum sacrae scripturae doctrinas instructa vere christiana religio est. Haec et laqueos observandi leges et cerimonias et spinosa, pietati parum utilia dogmata repudiat. „Christus novum quendam populum in terris instituit novis bonis moribus ornatum. Haec sunt autoris nostri dogmata nova. Haec sunt, per quae renascimur e supernis.“[13]) Tum demum quum pietas languesceret et fides infirmior fieret, ut certe exteriora impedimenta crescenti depravationi struerentur, vitae disciplinarum ac cerimoniarum laquei imponendi, menti omnia in dubium revocare studenti dogmata in certos et ad singula

---

[1]) ibid. fol. C_{2-3}

[2]) ibid. fol. C_3: nam hae „probant negotiationem, recipiunt usuram.“

[3]) Polemos l. c. fol. C_{3-4}

[4]) Er. Opp. (ed. Le Clerc) Tom. VI Annot. in Nov. Testam. p. 63 Herminjard l. c. I p. 30.

[5]) Er. Opp. Tom. V Paraclesis p. 140, „ex ea universa scatet theologia.“

[6]) ibid. p. 141, p. 77; Er. epp. p. 138; Polemos l. c. fol. D_6: „evangelicae fidei fines sunt mores Christo digni.“

[7]) Ratio seu Methodus verae theologiae ed. Basil. p. 15.

[8]) Polemos. l. c. fol. C.

[9]) Er. Opp. Tom. V enarratio in Psal. I p. 183: doctrina christiana nihil potest esse popularius; nam spiritus sanctus unumquemque illuminat atque ad sensum rectum adducit.

[10]) ibid.

[11]) Er. Opp. Tom. V. Paraclesis p. 140.

[12]) Ratio seu Methodus l. c. (ed. Bas.) p. 14—15.

[13]) ibid. p. 33—35.

pertinentes articulos divisa praebenda erant.[1]) Primo contra haereticos dogmata accuratius definita sunt;[2]) multo majus damnum allatum est, quum postea philosophia Aristotelica irrepsisset in ecclesiae doctrinam, quum theologi scholastici dogmata statuerent, quae partim supervacanea sunt, partim „fenestram aperiunt ad perniciem verae pietatis.“[3]) Ita judicans Erasmus alia via eodem redit, unde priore tempore profectus erat: ad scholasticos impugnandos. Illos appellat praecipuos autores malorum, quibus nunc christianus populus prematur: „non sic perpetuis bellis tumultuaretur undique res christiana, non tam insano studio per fas nefasque congerendi divitias ferverent omnia, non tot litibus ubique perstreperent sacra pariter ac profana . . . nisi ubique ex Aristotelis fontibus deprompta philosophia valeret.[4])“ Dogmata igitur definita, cerimoniae legesque inducta sunt, simulatque adaucta est vis rerum mundanarum atque morum depravatio; his malis illae res adductae, ipsae malum et contaminatio vere evangelicae religionis christianae sunt.

Hisce principiis dogmatum et legum, cerimoniarum et rituum ecclesiae aedificium labefactatur. Itaque quae Erasmus docet, ea ad evertendum dicta videntur. Neque tamen iisdem praesentem rerum statum vi mutare affectat. Erasmus enim facile jam minus sentiebat, se dogmatum suae ecclesiae integritatem non servare, quum assuefactus esset, dogmatis inferiorem in theologia valorem attribuere, et quum ita facile errores dogmaticos eorumque consequentias ignoraret. Praecipue autem eo permoveri non potuit, ut ecclesiae auctoritatem rumperet et huic se opponens suis reformandi consiliis effectum pararet.[5]) Vir modicus et omnes perhorrescens mutationes violentas, ab amicis Anglicis et certamine Reuchlinico ad pacifica studia perductus alienus erat a voluntario auctoritatis

---

[1]) ibid. p. 55: „ubi coepit esse minus fidei inter Christianos, mox increvit symbolorum et modus et numerus.“

[2]) Er. Opp. Tom. VI Annot. in nov. Test. p. 63: fidei a Christo traditae „deinde multum adegit ecclesia dissidiis haereticorum disjecta vexataque, quorum quaedam sunt, quae citra fidei dispendium poterant omitti.“

[3]) Ratio seu Methodus l. c. (edit. Basil.) p. 49—50.

[4]) Er. epp. p. 690.

[5]) Editionem novi testamenti, in cujus annotationibus plurimas praedictarum sententiarum profert, Leoni X dedicavit. In „Methodo“ profitetur: „Non est meum aut mei similium convellere, quod usu publico receptum est.“ (ed. Bas. p. 52.) Non mentitur a. 1533 Adriano papae scribens: „Praecipitavi, fateor, pleraque omnia . . doctorum tamen ac praesertim ecclesiae judicio me semper submisi.“ (Er. epp. p. 747), aut a. 1524 Clementi VII papae: „ego semper me meaque omnia submisi judicio Romanae ecclesiae.“ (ibid. p. 784).

contemptu. Dissimulandi artem semper magnam praedicabat virtutem, eo minus id publice agebat, ut in rebus ad ecclesiam pertinentibus aliquid novaretur, priusquam ecclesiae gubernatores assensissent, quum ei persuasum esset, hos auctoritate a Deo instituta valere,[1]) hominesque obediendi officio teneri. Neque negat conciliorum potentiam, neque aggreditur hierarchiam, papam habet Christi vicarium,[2]) caput Christiani populi, cujus vera jura contra scholasticorum exaggerationes praetendit, qui „corpus ecclesiae in unum contrahunt Romanum Pontificem, quem negant errare posse, quoties de moribus aut fide pronunciat.“ [3]) Itaque judicat Erasmus: Quae ab his ecclesiae principibus statuta nobis tradita, nunc ubique recepta sunt, ab iis ne tum quidem discedere licet, quum statutis sacrae scripturae fundamentum deesse videtur.[4]) Nam nullo modo ecclesiae unitati periculum adferri debet. Praecipua enim, ait, ecclesiae virtus, qualem Christus condidit, est unanimitas, pax singularum ecclesiae partium[5]) adeo, ut pax idem ac Christianitas significet.[6]) In pace Christus ecclesiae suae posuit fundamentum; nam imaginem voluit esse coelestis civitatis, in qua summa est concordia.[7]) Ecclesiae dedit corporis naturam, cujus caput ipse est, at si jam in mortali corpore partium perfecta concordia est, manus et oculus optime consociantur, quanto perfectior concordia debet esse, quae coelestis corporis partes inter se conjungit: „an plus potest in perituro corpore naturae connexus, quam in mystico et immortali?«[8]) In talibus libenter commoratur explicationibus, quae haud minus ortae sunt e studio restaurandae primaevae ecclesiae, quam

---

[1]) Er. epp. p. 1180 a. 1529 dicit papam episcoposque alios intelligens: „nunquam mihi venit in mentem, quemquam de suo gradu deturbandum esse“ etc. ibid. ea de causa: „nullum ecclesiae sacramentum non semper veneratus sum.“ In „Methodo‘ docet: „quid refert, utrum Christus instituerit, an ecclesia Christi spiritu afflata.“ (ed. Bas. p. 50).

[2]) Querela pacis ed. Coloniae 1543 fol. D_6: „Leo . . . vere Christi vicarium agens.“

[3]) Ratio seu Methodus (ed. Bas.) p. 51.

[4]) ibid. p. 50: „Vir pius admissorum confessionem ut a majoribus ortam et paullatim ad hanc formam redactam observat reverenter, judicans, non esse dissentiendum privata auctoritate ab eo, quod publicus christianorum usus et procerum auctoritas comprobavit“. Putat autem peccatorum confessionem non esse a Christo institutam. (Er. Opp. Tom. VI annot. ad nov. Testam. p. 507—8.).

[5]) Querela pacis l. c. fol. B_4: „omnes Christianorum literae nihil aliud quam pacem et unanimitatem crepant.“

[6]) ibid. fol. B_5: „quod populum Christianum ecclesiam vocari placuit, quid aliud quam unanimitatis admonet?“ similiter loquitur fol. B. ibid.

[7]) Polemos l. c. fol. C.

[8]) Polemos l. c. fol. C.

vota restaurandae evangelicae simplicitatis dogmata et cerimonias negligentis. Nam unitatis ac pacis in ecclesia conservandae praeceptum tantum apud eum valet, ut illo neglecto mala nata esse profiteatur, quibus ecclesia nunc referta sit.[1])

Ita igitur haec duo Erasmo statuta erant: primum: ecclesiae et doctrina et mores reformanda sunt, id, quod efficitur, si ad evangelicam simplicitatem et puritatem reducuntur.

Deinde: auctoritas traditionis ecclesiasticae, gubernatorum ecclesiae, unanimis consensus magni aestimanda, ecclesiae pax et concordia servanda est.

Itaque non aliter ecclesiae reformatio, qualem ipse volebat, perfici poterat, quam si non privata auctoritate, sed ab ecclesiae proceribus ac cum ecclesiae consensu incipiebatur. Primum igitur ii, qui ecclesiae magisterio fungebantur, animo debebant impleri inclinato ad restituendam evangelicam doctrinam. Quo perveniri Erasmus putabat, si bonarum literarum cognitione magis magisque propagata scholasticae doctrinae auctoritas paullatim perturbata, sacrae scripturae studium et intellectus promota essent, si omnes scripturam intelligentes amore puritatis in ea expressae, taedio omnino dissimilis ecclesiae praesentis affecti essent, si igitur hominum animi ad veram pietatem essent transformati. Qui rerum progressus, si ad finem pervenisset, Erasmus certo exspectavit fore, ut auctoribus ecclesiae proceribus, consentientibus omnibus reformatio secundum modum regulamque evangelicae doctrinae perficeretur. Ad praeparandam hanc rerum mutationem omnes suos labores adhibet. Bonas literas, quoad potest, adjuvat, editionem novi testamenti, in cujus annotationibus jam systematis theologici principia evangelica profert, papae Leoni X dedicat, omnes, ut bene vivant, mores corrigant, adhortatur[2]) atque in „Enchiridio“ christianae vitae canonem evangelicis praeceptis directae profert.

Haec autem animorum transformatio ecclesiae salubris paullatim tantummodo ac tranquille perfici poterat, omne certamen eam perturbabat, omnis violenta irritatio deflectebat de quiete discendi bonas literas, legendi sacram scripturam, exercendi evangelicas virtutes.

---

[1]) Querela pacis l. c. fol. B: Quia religio non jam „portus paratus“ paci, quia „religio cum religione dissidet,“ quia „tot factiones sunt, quot sunt sodalitia, Dominicales dissident cum Minoritis“ etc., „quia nusquam fere collegio convenit cum episcopo,“ itaque „quidquid calamitatum sentit mortalitas, huic dissidio debet acceptum ferre.“

[2]) Querela pacis l. c. fol. C_7: „Fungantur suo officio praesules, sacerdotes vere sint sacerdotes, monachi professionis suae meminerint, theologi, quod Christo dignum est, doceant.“

Minime mirum igitur id quidem: tranquillitatem ac pacem ab Erasmo summa bona praedicari! Nam omnium laborum totus successus ex ea pendebat conditione, ut haec bona intra hominum societatem, intra res publicas, intra literas, intra ecclesiam valerent.

At videbat pacem labefactatam, videbat christianos populos: Germanos, Gallos, Italos cruentis pugnis sese lacerantes, videbat certamen literarium negotio Reuchlinico motum in dies accrescens, videbat ecclesiam factionibus dissectam.[1])

Cap. II.

De Erasmi studiis ante ortum Lutheri certamen pacis causae dicatis.

Tum subito circa annum 1517 rerum politicarum status melior fieri visus est. In aulis enim magnis studiis actum est. „ut Cameraci synodus“ fieret „summorum orbis principum, Caesaris, regis Galliarum, regis Angliae, Caroli,“ „atque ibi pax coiret inter illos adamantinis, ut ajunt, vinculis.“ [2])

Erasmus summo gaudio affectus est hoc nuncio respondente ardentissimis ipsius votis. Quum paulo ante Caroli consiliarius electus esset, hoc munere ad civitatis utilitatem optime fungi poterat, si tunc verbis graviter adhortantibus studia pacifica adjuvabat. Scripsit igitur etiam admonitus a Silvagio,[3]) Caroli cancellario, „per quem haec res potissimum agebatur,“[4]) „Querelam pacis undique gentium ejectae profligataeque ac jam fere sepultae“ [5]) et eodem tempore eandem ob rem composuit librum, cui titulum addidit: „Polemos sive belli detestatio.“ [6])

In his libris diserte atque graviter decantat pacis felicitatem,[7]) demonstrat, quam male hominis naturae belligerare respondeat,[8]) explicat, ad pugnandum ac necandum inclinationem profluere e consuetudine necandarum et edendarum bestiarum:[9]) „primo, inquit, ista crudelitas diu constitit intra monomachias: unius jactura bellum dirimebatur,“ donec „concursum est a

---

[1]) Querela pacis l. c. fol. A_{7-8} et B_{7-8}.

[2]) Catalogi l. c. fol. C_3.

[3]) ibid. „Jussu Joannis Silvagii scripsi querelam.“

[4]) Catalogi l. c. fol. C_3.

[5]) Liber editus est a. 1517, nam a. 1524 (29. Jan.) dicit: „Querimoniam pacis scripsimus ante annos ferme septem tunc primum in aulam principis acciti“. (Catalogi l. c. fol. C_3.)

[6]) cf. quae p. 7 annot. 2 de hoc libro dicta sunt.

[7]) Polemos l. c. fol. B_{4-5}.

[8]) Querela l. c. fol. A 1—5.

[9]) Polemos l. c. fol. B.

pluribus“ [1]) et nos „huc videmus esse perventum insaniae, ut tota vita nihil aliud agatur, quam belligerare assidue.“ [2]) Haec, ait, naturae immanitas cum animo vere christiano, qui solum pacem et amorem resipit, consistere non potest, sed contaminata christiana religione etiam haec animi libido longe lateque versatur. [3]) Hoc pacis studio eo perducitur, ut ipsa bella contra Turcos gerenda minime laudet, ut adhortetur, ut illi non bellorum impetibus, sed fidei armis petantur atque quidem fidei vere apostolicae, cui facilius assentiantur, quam religioni „tot articulis humanitus additis“ oneratae. [4]) Ita diserte ad pacem excitat animos, adhortatur omnes, ut adjuvent pacificos principes et papam [5]) atque exoptat: „Nunc gratia gratiam pariat, et beneficium beneficio invitetur, isque videatur regalior, qui plus de suo jure concesserit.“ [6]) Quod si fit atque privatos affectus vincit publica utilitas, „principibus regnum erit augustius, populo quies uberior, nomen christianum formidabilius crucis hostibus.“ [7])

Sed quae ipse tantopere praedicavit bona, apud homines valorem perdidisse videbantur; Erasmi pulchra verba non audita sunt. Synodus ille non habitus est, et per paucos tantummodo annos siluerunt arma inter populos christianos.

Et multo minus lenita est animorum irritatio ob pugnam Reuchlinicam erupta, quam quoque Erasmus spectabat verba pacifica mundo praebens; ira crescebat adversus ejus adhortationes. Quamvis enim epistolis obsc. vir. editis nonnulli Reuchlinistae eodem animo atque Erasmus sese implevissent, quamvis multi, praecipue poetarum sodalitas illa, cui Eobani nomen est, perterriti acerbitate pugnandi hisce literis effecta rixis non jam interessent et Erasmum ducem sequerentur, [8])

---

[1]) ibid.

[2]) ibid. fol. B_2.

[3]) Querela l. c. fol. A_{5-7}.

[4]) Querela pacis l. c. fol. C_7 et Polemos l. c. fol. D_7.

[5]) Querela l. c. fol. D_6: „Ad pacem vocant ipsi principum animi jam velut adstante Deo ad concordiam propensi. En pacificus placidusque Leo“ etc. „Si vere oves estis, sequimini pastorem.“

[6]) ibid. Haec Erasmi studia omnino ignorantes adhuc omnes, qui de Erasmi studiis disputarunt, etiam hunc locum ad studia Erasmi post ortam Lutheri causam incepta pertinere arbitrati sunt. Querelam pacis jam a. 1517 scriptam esse demonstravimus atque finem habere non proxime rebus fidei dicatum. Ceterum jam hoc errore opinemur licet, quam continuae fuerint Erasmi cogitationes. — Similes loci inveniuntur in Polemos l. c. fol. D_3: „Concede dimidium te tuo, ego tantumdem de meo concedam. Quodsi recusas quicquam concedere, ego vel universum negotium tuo permitto arbitratui.“ Principium statuit: „Satius est relinqui vulnus, cui sine gravi corporis pernicie mederi non queas.“ (ibid. fol. D.)

[7]) Querela l. c. fol. D_6.

[8]) Kampschulte: Universität Erfurt vol. I p. 250 seqq.

quamvis ita Reuchlinistarum pugnare pergentium numerus diminutus esset, eo ardentius hi operam dederunt, ut contra Colonienses eodem, quo antea, modo libris satiricis et apologeticis rem defenderent:[1]) Ante omnes Huttenus vehemens, eloquens, semper ad depugnandum expeditus orationis amaritudine Colonienses affligere non desiit. — Ex altera parte Colonienses gloriosius de se jactantes, iracundia valde permoti, sed arte exigua et successu etiam magis exiguo vincere studuerunt adversarios in dilectissimo Reuchlinistarum campo: scriptis satiricis.[2]) Atque interea Pepricorneus perseveravit in convitiando, Hochstratus composuit confutationes Reuchlini scriptorum, Ortuinus Gratius eruditionem humaniorem commodavit scholasticorum negotio, retulerunt illi omnes in numero haereticorum adversarios.

Dubium esse non potuit, quin etiam tum Erasmi amor ad Reuchlinistas magis inclinaret. Persuasum enim habebat, odium bonarum literarum causam fuisse hujus pugnae stoliditatis scholasticae contra Reuchlinistarum eruditionem.[3]) Quum autem bonas literas amaret, ut antea, earumque cognitionem utilissimam haberet ad reformandam ecclesiam, Reuchlini amicos bonarum literarum amore, intellectu depravationis praesentis rerum status jam ad ipsius studia appropinquare arbitrabatur: Ut tum res se habebant, illos solos putabat esse primos auctores exstirpandi veteris animi, mundi ad vere evangelicam reformationem permovendi.[4]) Quare etiam familiariter usus est non modo modicis illis Reuchlini amicis, non modo Reuchlino ipso, sed etiam illis ejus sectatoribus, qui ut Huttenus rem gerebant. Reuchlinum, „decus nostrae Germaniae,“ [5]) magni aestimat, laudat, consolatur, si de rei exitu timor eum invadit,[6]) confirmat ei suum amorem, quem etiam Hochstrato, acerbissimo

---

[1]) Satirice scripti dialogi nonnulli, ut „Julius exclusus“ et „Triumphus Capnionis“ ab Hutteno editus; apologetice scripserunt in Reuchlini causa Cardin. Benignus de Salviatis, Naeetius, Pirkhemius.

[2]) Ediderunt Lamentationes obscurorum virorum cf. p. 5 annot 1.

[3]) Etiam 1520 Cardin. Campegio scribit: „Hic igitur est fons et seminarium totius tragoediae immedicabile odium linguarum ac bonarum literarum. At subinde variantur scenae . . . sed tamen edem fabula agitur. Hinc illa tempestas in Reuchlinum“ etc (Er. epp. p. 595). „Nemo nescit hoc agere Hochstratum, ut linguas et bonas literas exstinguat.“ (ibid. p. 714) ibid. p. 590 de Reuchlini adversariis loquitur, „qui in bonas literas conjurarunt.“

[4]) Quare Reuchlino dicit: „Christus agnoscet (sc. merita tua), cui tui militant labores.“ (Er. epp. p. 1598, ep. a. 1517 Reuchlino scripta).

[5]) Illustrium virorum epp. l. c. p. t_{II}.

[6]) Er. epp. p. 1598.

ejus inimico profitetur.[1]) Iracundos ejus sectatores excusat ob „libertatem," ob vehementem agendi modum apud viros auctoritate valentes[2]) atque de Hutteno praedicat: „Huttenum nostrum libenter amamus."[3]) Certo subridebat, quod ab his viris Coloniensium auctoritati et potentiae valde nocebatur, quum se scholasticorum signiferos praeberent, contra quos tam diu pugnaverat, quique maxime Erasmi studiis reformandae ecclesiae obstabant. Sed hac ad alteram partem inclinatione, alterius partis taedio tum non poterat Erasmus commoveri, ut in ista pugna publice Reuchlinistarum partium esset. Nam intelligebat certaminis periculum, videbat, ad quem usque gradum animorum ardor jam effervisset, cognoscebat auxilia, quae utraque pars possidebat, jam tum timebat, ne mundus fatali dissidio dirumperetur.[4]) At amicitia Reuchlinistis servata, praeteritae vitae studia ac suspicio, quae ob hanc rem etiam posterioribus adhaerebat, pronunciata principia praesenti rerum statui minime amica effecerunt, ut etiam tum iterum atque iterum Coloniensium adversariis adnumeraretur, ut scripta humanistarum pugnantium sine autoris nomine edita haud raro ei attribuerentur.[5]) Pavido Erasmi animo inde orta pericula duplicata apparebant, studiorum tranquillitas, vivendi commoditas perturbari, securitas laedi ei videbatur. Constat, hos animi affectus atque has cogitationes eum admovisse, ut pacem desideraret. Quam maxime autem cavendum est, ne his affectibus nimium attribuatur; nam alia quoque causa magis ingenua ac graviore motus impiger partes ad pacem ineundam adhortatur. Si enim certamen sopiebatur, Erasmi reformandae ecclesiae desideria persistebant, si periculosius fiebat, decidebant, quum reformatio non perfici posse appareret, nisi animorum paullatim completa mutatione ac correctione. Haec autem omnino impediebatur ardente pugna. Nam humanistae rectam viam jam ingressi rixis ab ea deflexi erant; scholastici e contrario pugna eo magis irritati animos in retinenda vetere sua doctrina plane stabiliebant atque adversariorum intemperantia armis ad defendenda vetera in-

---

[1]) ibid. p. 483.

[2]) ibid. p. 322: „habet Germania juvenes aliquot magnam et eruditionis et eloquentiae spem de se praebentes . . . horum libertatem et ipse faterer intolerabilem, nisi scirem, quam atrocibus modis tum publice, tum privatim irritentur." (ep. ad Cardin. Thomam); similiter loquitur, ibid. p. 485.

[3]) ibid. p. 451.

[4]) Er. epp. p. 384 et in alia epistola a. 1517 scripta dicit: „haec orsa latius spectant, quam fortasse vulgus hominum intelligit." (Er. epp. p. 269).

[5]) Nominabatur „Julii exclusi" autor. Er. epp. p. 1622 et p. 1626 (Append.).

struebantur; ii denique, qui eo, quo Erasmus volebat, modo, veteri statui corrigendo et paullatim tollendo operam navabant, coacti erant tacere, quum etiam horum desideria contra vetera pugnarent. [1])

Erasmi igitur consilia dilecta inania, difficiles reformandae ecclesiae inservientes labores vani fiebant, si haec pugna non finiebatur neque homines studiis pacificis se imbuebant. Quare utramque partem verbis pacificis adit:

Reuchlinistis iterum atque iterum declarat, se nullo modo pugnae participem fore, [2]) non desinit eos admonere, ut ab intemperantia abstineant, ut omnino coepto desistant, [3]) si audit, aliquem eorum librum ad pugnam pertinentem edi, autores admonere studet, ut illum opprimant, si novus libellus in lucem prodiit, jam ea de causa eum vituperat, quod bellum illo ducatur. Causae, quibus haec verba nituntur, probant eum ad pacem adhortantem praecipue ductum fuisse ecclesiae reformandae studiis. Bellum, ait, qui nunc geritur, nihil prodest; veteris factionis potestatem rumpere nequit, [4]) irritat eam ad acerbiorem adversus res novas iram, immo nocet bonis literis, a quibus augendis optimae vires pugnando detorquentur. [5]) Ita ii, qui nunc pugnare pergunt, ipsi suae rei nocent, nocent ei, quum pugnantes et rixantes, quae didicerunt, non adhibeant ad perscrutandam sacram scripturam, [6]) promovendam vere christianam religionem, nocent ei denique, quod defensione Judaeorum librorum, imprimis Reuchlini libro: de arte cabalistica periculum adfertur, ne iis spiritus Judaismi cerimonias et res exteriores appetens novum sibi sumat alimentum. [7])

Hujusmodi considerationibus Erasmus, ut Reuchlinistas ad pacem propensos redderet, operam dedit; ac si tum apud eos de eorum adversariis sententiam dixit, haec sententia semper in talem apparuit redacta formam, qualis etiam de pugnando dehortationem continuit. Ipse scholasticis minime amicus non poterat desiderare, ut Reuchlinistae melius de studiis communium adversariorum judicarent. Sed ut apud Reuchlinistas scholasticos reprehenderet, praecipue ea re permovebatur, quod,

---

[1]) „Quod si pergent ad istum modum nugari, efficient, ut bonis etiam scriptoribus imponatur silentium.“ (Er. epp. p. 1626.)

[2]) Er. epp. e. g. p. 384—85.

[3]) ibid. p. 1641 (ep. Pirkhemio missa).

[4]) Spongia Erasmi adversus aspergines Hutteni ap. Böcking: Hutten. Opp. l. c. vol. II p. 277—78.

[5]) Er. epp. p. 270.

[6]) Er. epp. p. 434 Huttenum hujus rei admonet. „Malim ego totum mensem in Paulum aut in evangelium explanandum insumere, quam diem hujus modi rixis conterere.“

[7]) ibid. p. 1675; v. d. Hardt l. c. I p. 30; Herminjard l. c. I p. 30.

quae facerent, ea christianae concordiae obessent. Profitetur theologos causis christiano indignis ad pugnandum permoveri, non ex animo christiano, sed ex spiritu mundi profluere eorum persecutionis studium,[1]) neque alium huic esse finem, quam ut neglecta christiani populi concordia superbiae viam parent, immo propter eam solam causam ab iis adhiberi Pepricorneum ministrum, ut discordiam seminent.[2]) Etsi autem interdum ira interiore commotus Colonienses theologos „furias,“[3]) „personatos religionis eversores,“[4]) „populum crabronum“[5]) appellat, etsi in Pepricorneum „tubicinem furiarum“[6]) acerbissimas congerit vituperationes, contendens eum solum ea de causa christianae religioni sese addixisse, ut christianam concordiam rumperet, imperatoris, civitatis Coloniensis, episcoporum officium esse declarans, „ut istam hydram in tempore exurant,“[7]) etsi denique amicis dicit, adversarios viliores esse, quam ut cum illis digladientur,[8]) attamen ex ipsis jurgiis et vituperationibus elucet, etiam harum accusationum acumina conversa esse in Coloniensium animum concordiae nocentem. Elucet igitur, Erasmum apud Reuchlinistas quam maxime paci studuisse atque aperte illos adhortatum esse, ut a pugna se averterent atque adversariis pugnandi causam auferrent. — Ne autem Colonienses laesi offensionibus, quae hisce adhortationibus continebantur, se ipsum aggrederentur, neve rixandi cupido etiam accresceret pugnaque, quam sopitam volebat, magis etiam effervesceret, talia judicia cum familiarissimis tantum ac maxime taciturnis amicis communicabat et apud hos etiam adversarios in universum solum petebat. Nunquam singulos aggressus est excepto uno Pepricorneo, quem minus periculosum esse putabat, quum ei Judaismi macula illo tempore maxime despecta adhaereret, quumque cum Dominicanis, quos Erasmus timebat,[9]) non directe esset conjunctus. Quare etiam multo cautius agebat, si apud Colonienses ipsos loquebatur. Cognoscebat inutile fore ad interrumpendam pugnam eos adhortari, nisi quam maxima lenitate eos tractaret. Itaque imprimis Hochstrato animum praestabat modicum, clementem, immo tam

---

[1]) ibid. p. 1626.
[2]) ibid. p. 1639.
[3]) Er. epp. p. 1640.
[4]) ibid. p. 316.
[5]) ibid. p. 268 atque Illustr. vir. epp. l. c. II S_{II-III}.
[6]) Erasmi epp. p. 1640.
[7]) ibid. p. 269 et p. 1641.
[8]) ibid. p. 268 et p. 1641.
[9]) Er. epp. p. 268: „cum populis ei res est, qui cum Dominicanis belligeratur.“

amicum,[1]) ut non posset negari, eum nimis cessisse[2]) opinioni, licitum esse, cogitationes dissimulare, eumque timuisse sodalem ordinis, quem adhuc plurimum auctoritatis habere arbitrabatur.[3]) Sed simul tam seria ac minime jucunda verba apud eos facit, ut etiam hic praecipua moderationis causa appareat pacis studium ac minus timiditas. Anno 1517, quum Erasmus Hochstrati impetum certo sibi imminere audisset,[4]) perseveravit ut antea cum Hochstrato agere.[5]) Ut igitur ipse moderationis exemplum edit atque adversarios inermes tractabilioresque reddit, ita aperte vituperat eorum libidinem detractandi aliorum fidei atque intemperantiam[6]) Hochstratoque consilium dat: „Velim te magis in posterum dignitati consulere.“[7])

Haud multum autem profuerunt haec pacifica Erasmi verba, quae solum apud humanistas aliquem effectum habuerunt.

Quum Hermannus de Nova aquila ab Hochstrato offendente epistola petitus vehemente ira moveretur, quumque ejus propinqui jam incepissent armis Dominicanos Colonienses petere, Erasmus etiam ultimo[8]) temporis momento eum adduxit, ut coepto desisteret. Hermannus Buschius libellum editurus Erasmum hujus rei certiorem fecit atque titulum libri cum eo communicavit. Ex quo quum Erasmus intellexisset, in libro res contineri theologos mordicus offendentes, dehortationibus effecit, ut liber ederetur omnino transformatus[9]) atque alio titulo praeditus: „vallum humanitatis.“

Interdum igitur non sine successu restituendae paci studia devovit; sed plerumque ejus monita non observata sunt.

Ita accidit, quod timuerat, ut Reuchlini certamen initium esset fatalis dissidii: quum ad pacem adhortans versaretur intra pugnantes, jam novi motus per totam Germaniam excitati maximam partem eorum, qui oppositioni studebant, corripuerunt.

---

[1]) a. 1517 Hochstrato scribit: „deflexi nonnihil ab itinere meo, ut te veterem amicum meum viderem.“ (Er. epistolae ed. Moguntiae 1544 lib. 3. — liber non paginatus est —).

[2]) Laudat ejus civilitatem (Er. epp. p. 484), dum alio loco de ejus persequendi libidine queritur, (ibid. p. 385), dicit, eum amorem bonarum literarum praestitisse (ibid. p. 484), dum eum alio loco inimicum bonarum literarum appellat. (Böcking: Hutteni Opp. l. c. vol. II p. 275, Er. epp. p. 385).

[3]) cf. p. 17 annot. 9.

[4]) Hutteni expostulatio (Hutt. Opp. ed. Böcking l. c. II p. 197).

[5]) cf. annot. 1.

[6]) Er. epp. p. 486.

[7]) Er. epp. p. 485.

[8]) Er. epp. p. 624; Spongia Erasmi (Hutteni Opp. ed. Böcking l. c. II p. 276).

[9]) Spongia ibid.: „Ut liber legatur citra offensam ab doctis.“

Cap. III.

De Erasmi studiis irenicis post natam Lutheri causam apparentibus.

Non ita multum post Lutheri ortam causam foedus inter eum et Reuchlinistas factum est; Lutherus id appetierat bonarum literarum amicum se praestiterat atque Reuchlini ejusque amicorum favorem nancisci desideraverat. [1]) Hic favor post disputationem Lipsiae habitam audaci monacho libenter praebitus est a multis viris, qui adhuc a Reuchlini parte steterant; praesertim Huttenus cum Luthero se conjunxit. Eodem modo inter Lutheri primos ac praecipuos adversarios prodiit Hochstratus, scholasticorum signifer in pugna Reuchlinica. — Ut Erasmus jam hac factionum distinctione facile permoveri poterat, ne relinqueret agendi rationem, quam in certamine Reuchlinico habuerat, ita eo adducebatur etiam alia causa. Quamvis illo certamine tranquilla studia haud raro turbata essent, Erasmi tamen labores ad theologiam pertinentes non inanes fuerant. Potuit enim jam amicus quidam ei asseverare: [2]) „Video equidem, uti videlicet theologi isti nostri desertis Scotistarum, Occanistarum, adde etiam Thomistarum factionibus ad antiquam illam ac veram se theologiam convertant, si porro perrexeris suam arcanis ac coelestibus literis dignitatem asserere. Id quod hactenus tanto abs te successu factum esse censeo, ut certe non videam, quem veterum theologorum tibi jure anteponere quis debet.“ Jam ipsi Parisiensis universitatis theologi Erasmi studiis favere inceperunt, [3]) et jam Erasmus non vana studiorum suorum aestimatione elatus Leoni X. profiteri ausus est: „Qui hactenus e putribus lacunis perturbatam quandam et frigidam theologiam hauriebant, nunc e purissimis fontibus Christi et apostolorum haurire malunt.“ [4]) Quum igitur jam tantus fuisset Erasmi studiorum successus, non poterat ei esse in animo ab illis desistere, mutationibus violentis favere. At tum subito exsurgens Wittenbergiae monachus Erasmo adhuc ignotus atque ab aliis profectus studiis sententias Erasmi doctrinis similes protulit: aggressus est ecclesiae depravata dogmata et instituta et ut Erasmus provocavit ad biblia sacra ac

---

[1]) Er. epp. p. 577. a. 1520 scribit Erasmus: „jam Capnionem rursus ingrediuntur tantum odio Lutheri, qui me dissuadente nomen illius suo negotio admiscens“ etc. et ibid. p. 595. Quare a. 1521 dicit: „gravi invidia oneravit Lutherus Reuchlinum.“ ibid. p. 1697.

[2]) Herminjard l. c. vol. I p. 34 Nicol. Berault Erasmo 16 Mart. 1518.

[3]) ibid. p. 41 Erasmi ep. ad Huë 9 Aug. 1518 aut 1519; ibid. p. 54.

[4]) ibid. p. 56.

doctrinam evangelicam. Erasmus itaque eum socium ac studiorum consortem secum conjungere non poterat, nisi ille moderate se gerebat, ecclesiae auctoritatis reverentiam habebat, seditiose agendi rationem evitabat. Donec Lutherus harum virtutum exempla edidisset, caute in ejus causa agere eo magis studebat, quod scholasticorum factio statim Erasmum Lutherani negotii principem atque auctorem fecit, [1]) et quod Lutherus operam dedit, ut Erasmi laudem sibi compararet. [2]) Laudavit quidem Erasmus Lutheri ingenium bene appositum ad explicandas arcanas literas juxta eum morem, quem ipse voluit adhiberi ad „suscitandam evangelicae doctrinae scintillam," [3]) laudavit morum ejus integritatem [4]) atque optimum quemque ei assentiri enunciavit, [5]) literis eum tuitus est apud viros, ex quorum favore pendebat Lutheri securitas. [6]) Sed simul declaravit, Lutherum sibi ignotum esse, [7]) judicium de scriptis ejus proferre cunctatus est [8]) Lutherumque ipsum admonuit non obscura oratione, ne ecclesiae auctoritatem offenderet. ne modo arrogante atque factioso loqueretur, ne contra res traditas pugnans nimis properaret, ne animi vehementiam longius prosequeretur. [9])

Erasmus igitur, ut moderate ageret, a Luthero petiit, priusquam Lutheri causam suam esse voluit. Sed Lutheri animus alio conversus erat. De Erasmi scriptis apud amicos sententiam dixit: „nihil promovent, quia abstinent ab increpando, mordendo, offendendo" [10]) atque professus est: „Erasmi

---

[1]) cf. e. g. Er. epp. p. 322, p. 595, p. 437.

[2]) Quum jam interdum in epistolis ad amicos missis Erasmum laudasset, (Lutherus Spalatino 18. Jan. 1518 de Wette: Luthers Briefe vol. I Nro. 53 et a. 1516 ibid. Nro. 22) et ubi se differre ab Erasmo dixerat, semper ab amicis, ut hoc judicium celarent, petisset (ibid. Nro. 53 et 29 Langio a. 1516: „Vehementer celo hoc judicium" cf. etiam Stichart l. c. p. 321—22) 28 Mart. 1519 ipse Erasmo epistolam scripsit, (De Wette l. c. I p. 242) quae referta est blandis verbis.

[3]) Er. epp. p. 596 13 Dec. 1520 Er. Campegio.

[4]) Stichart l. c. p. 316—19. Er. epp. p. 432 (a. 1519 Melanchthoni).

[5]) Er. epp. p. 514.

[6]) cf. Er. ep. ad episcop. Moguntiaci a. 1519 (Er. epp. p. 513 seq.), ad electorem Joh. Fridericum (Seckendorf Hist. Ref. I p. 96); praecipue judicium a. 1520 Coloniae electori Saxonico datum Luthero utilissimum erat (Planck: Geschichte des protest. Lehrbegriffs lib. III p. 341; Stichart l. c. p. 335—36).

[7]) Er. epp. p. 514; cf. Stichart l. c. p. 315.

[8]) Dicit semper, se nondum, aut solum carptim legisse Lutheri libros. cf. Er. epp. p. 513, p. 596; Stichart l. c. p. 315, 316, 318, 319.

[9]) Er. epp. p. 444 (ep. ad Lutherum). Er. declarat, plus eum profecturum esse „civili modestia, quam impetu." Hanc epistolam Stichart affert traductam l. c. p. 312—15.

[10]) De Wette l. c. vol. II p. 49. Postea quidem Er. (7. Mart. 1526 Er. epp. p. 914) declarat, scripsisse Lutherum accepta sua epistola non-

judicia me ne tantillum moverunt." [1]) Neque quidquam adversarii ejus Hochstrati, Prieriates, Eccii, quo hunc ejus animum stabilirent, praetermiserunt. Pugna periculoso modo effervescebat atque jam plebem irritare utraque pars incipiebat. Lutherus cum Hutteno conjunctus conviciantes et irritantes libellos emittebat, qui animi popularis iram spirant, et ab altera parte monachi ac sacerdotes concionibus populum exacerbabant atque „ad lapides" provocabant. [2]) Tum certo animi providi et cauti, quem adhuc in Lutheri negotio praestiterat, Erasmum non poenitebat; sollicitus autem futura exspectabat; multo magis quam certamine Reuchlinico, ne pugnis, tumultibus, seditionibus augendarum bonarum literarum, reformandorum morum, restituendae evangelicae doctrinae studia turbarentur, timebat. Faciebat igitur id, ad quod in pugna Reuchlinica agendi habita ratio, ad quod stabilita principia theologica viam ei demonstrabant: assidue tranquillitatem, pacem, concordiam flagitabat. [3]) Ipse ita neutram factionem sequebatur etiam ea de causa, quod de quiete sua nimis erat sollicitus neque capiebat tam laboriosae ac periculosae pugnae particeps esse, cujus exitus erat incertus. [4])

Longe igitur Erasmus a Lutheri parte recedebat; sed quantumvis odisset ejus seditiosa studia, multum aberat, ut tranquillitatem Lutheranis vi oppressis restituendam censeret. Nam eae, quas Lutherus proferebat, doctrinae theologicae pleraeque non offendebant Erasmum: [5]) restituendae evangelicae doc-

---

nulla plausibiliora ut „in precationem dominicam, de XIV spectris." (De hoc libello Er. — cf. Er. epp. p. 775 — judicat: „libellus de XIV spectris, qui magnopere probatus est etiam ab his, qui doctrinae illius omnibus modis adversantur;" elucet igitur Erasmi judicium de hoc libro datum optimum fuisse, itaque quam maxime errat Stichart, qui judicio Erasmi, quod de hoc libro protulerit, probare studet, quam acerbe Er. de Luthero judicaverit. l. c. p. 344). Sed ipse agnoscit, non diu constitisse verborum suorum auctoritatem: „sed his incredibili celeritate perfectis provolarunt alii super alios libellos, quorum novissimus quisque violentissimus erat." (Er. epp. p. 914).

[1]) De Wette l. c. vol. II p. 49.

[2]) Er. epp. p. 1697.

[3]) Hujus agendi rationis Erasmo ab omnibus fere, qui de hac re scripserunt, causae minus honestae statutae sunt, quum studia Erasmi irenica, quae ante Lutheri ortum negotium apparent, aut omnino neglecta aut oblique visa sint, quumque ita continuas esse ejus sententias non apparuerit. Erasmus mutavit animum, sed ante Luthericum certamen, quibusque effecta esset causis haec mutatio, jam explicavimus.

[4]) Er. epp. p. 732: „videbam me imparem tam periculoso negotio" etc. Stichart complures affert similes locos, (l. c. p. 299—301) sed ut hos nimis urget, ita in universum Erasmi studiorum irenicorum veras causas et naturam ignorat. (cf. totam partem: Befähigung des Erasmus zum Reformator l. c. p. 291 seqq.).

[5]) Etiam a. 1523 Er. scribit Zwinglio (Hottinger: hist. Eccles. sec. XVI P. II p. 30 Zürich 1665): „videor mihi fere omnia docuisse,

trinae studium utrique commune persistebat, praecipue ea re eorum studia disjuncta erant, quod non eodem modo hunc finem prosequebantur. Quare Erasmus commiseratus est Lutheri fortunam; [1]) quare doluit eum, quod ille verba ad moderationem monentia non secutus esset; [2]) quare eo minus desiderabat, ut Lutheri adversarii plane ejus studia devincerent, quum hac clade etiam sua studia periclitarentur, quum Luthero a scholasticis victo etiam bonae literae vincerentur atque spes restituendae purioris theologiae omnino deleretur. Persuasum enim Erasmo erat, praecipue bonarum literarum odio ad hunc in Lutheranam factionem directum furorem theologos exacerbatos esse, eosque omnibus viribus eniti, ut oppressis his literis impune regnarent cum sua barbarie.[3]) Itaque neque minis neque adulationibus[4]) ad theologorum consortium perducebatur, a quibus praecipue effectum esse profitebatur, ut pugna tam iracunde gereretur, [5]) ut Luthero tot homines se addixissent, [6]) ut ecclesiae auctoritatem defendentes tantum auctoritatis perdidissent. Eorum prolata argumentatio ei ridicula, eorum ad opprimendos adversarios adhibita remedia ei detestabilia esse videbantur. [7]) Omnino alio modo ipse, ut consopirentur rixae, appetebat.

---

quae docet Lutherus." Diversas sententias habebat uterque imprimis de fide atque bonis operibus. Lutherus enim debebat putare, bona opera nihil utilitatis afferre, quia opinionem de justificatione sola fide effecta servabat. Dicente igitur Paulo apostolo, justitiam non effici operibus legis, Erasmus certo haec opera observationem praeceptorum cerimonialium intellexit, Lutherus autem haec verba refert ad exsecutionem praeceptorum moralium, ad observationem decalogi legum. Quare Lutherus jam a. 1516 vituperat Erasmum commemorans hanc ejus explicationem. (De Wette l. c. vol. I epp. Nro. 22; Lutherus in hac epistola Erasmum vituperat: „quod in apostolo interpretando justitiam legis seu propriam [ita enim appellat apostolus] intelligit cerimoniales illas et figurales observantias").

[1]) Er. epp. p. 577 a. 1520: „Male metuo misero Luthero."

[2]) ibid. „Utinam Lutherus meum secutus judicium ab odiosis ac seditiosis abstinuisset."

[3]) Er. epp. p. 577.

[4]) ibid. p. 1698: „Aleander . . . me Coloniae impensissime rogabat ad prandium, ego quo magis instabat, hoc pertinacius excusavi." cf. etiam Stichart l. c. p. 333.

[5]) a. 1519 apud Moguntiaci archiepisc. tuetur Lutherum contra theologos, qui „nec admonent nec docent Lutherum, tantum insanis clamoribus apud populum traducunt hominem et virulentissimis obtrectationibus lacerant nihil habentes in ore praeter haereses, haereficos" etc. (Er. epp. p. 514).

[6]) Er. epp. p. 747 ipsi papae a. 1523 scribit: „at isti Atlantes ex orthodoxis faciunt haereticos." Quantus fuerit Lutheri sectatorum numerus minime ignorat: „Nemo credat, quam late Lutherus irrepserit in animos multarum gentium et quam alte insederit omni lingua quaquaversus." (Er. epp. p. 1696 a. 1521).

[7]) Er. epp. p. 1695: „hic certe nemo magis officit pontificiae dig-

Priusquam Leonis bulla Lutherum damnans prodiit, pacem restitui posse censuit, si incendium a Luthero inflammatum flagrandi materiam ipsum hauriret neque Lutherus impetibus irritaretur.[1]) Quam ob rem a Leone petiit, ut pugnantibus partibus silentium imponeret.[2])

Quum autem Romae theologorum valuisset auctoritas atque Eckius „diplomatophoros“ inde cum „bulla terrifica“ redisset,[3]) imperatorem modo creatum pacis assertorem in Germaniam venturum esse spem sibi sumpsit.[4]) Neque cunctatus est id, quod desideravit, cum ipso communicare. Peutingero, Caroli consiliario, consilia Fabri amici afferens exposuit,[5]) severitatem sanando malo non prodesse, odium Romae atque Lutheri auctoritatem intimius hominum cordibus infixa esse, quam ut vi evelli possent, demonstravit, Germanos facilius clementia duci quam vi compelli posse, explicavit, remedia ita eligenda esse, ut primo restituendae paci neque puniendo Luthero, ante omnia servandae „evangelicae veritati“ neque solum „dignitati et auctoritati Romani pontificis“ provideretur. Non obscure jecit, sibi a papa adhibitum modum ejusque bullam non placere atque in comitiis Wormatiae habendis rem aliter tractandam esse. Ut hoc comitium prodesset, adhibendum esse censuit Fabri consilium atque proposuit, „rei summam arbitris doctis, integris et ab omni suspicione alienis“ delegandam et horum judiciis imperii decreta accommodanda esse. — Imperatori ipsi dedicavit atque misit Wormatiam paraphrasin evangelii Matthaei.[6]) In hujus libri prooemio ecclesiam una concordia persistere posse declaravit, quae nunquam restitueretur, si quisque obstinanter mordicusque suam causam praetenderet, neque neglexit admonere, quam necesse esset, omnes principes atque subditos ho-

---

nitati, quam qui odiosissime clamant in Lutherum, nemo magis illum commendat affectibus populi, tam stolide, tam seditiose res agitur per monachos quosdam, inter quos nullus est habitus vir bonus ... Nullus redarguit (sc. Lutherum), tantum conviciantur, saepe etiam mentientes.“ — ibid. p. 1698: „Fortassis hoc in mandatis est, ut quoniam aliter vinci non possunt hostes sedis Romanae ... veneno tollantur benedictione Pontificis. Hac arte valet Aleander.“ (ep. a. 1521 scripta).

[1]) Er. epp. p. 1361: „Primum ubi prodierunt Lutheri placita de indulgentiis, silentium erat optimum.“ simil. ibid. p. 732.

[2]) Er. epp. p. 490 Er. Leoni X; Herminjard l. c. vol. I. p. 57.

[3]) Er. epp. p. 1361; a. 1522 Er. Georgio, Saxoniae duci, scribit: „prodiit saevissima bulla a Pontifice.“ (Er. epp. p. 732.)

[4]) Er. epp. p. 1696: „Tempus est, ut Carolus prospiciat tranquillitati christianae.“ (a. 1521).

[5]) Er. epp. p. 590--92 Peutingero 9 Nov. 1520.

[6]) Burscher: Spicilegia autographorum illustrantium rationem, quae intercessit Erasmo Roterodamo cum aulis et hominibus aevi sui praecipuis omnique republica. Lipsiae a. 1784—1802 (in scriptis solemnibus universitatis Lipsiensis) Spicil. IV p. V.

mines primo ipsis corrigendis operam navare.[1]) Praeterea literis Carolo atque Gattinario, imperatoris cancellario, missis pollicitus est, se consilia pacifica accuratius prolaturum esse, si ista audirentur neque autoris nomen evulgaretur.[2])

Caute igitur ea, quae desiderabat, detulit, et quamvis e verbis intelligi posset, quid optaret, inimicis tamen certam aggrediendi causam non praebuit. Homo enim umbraticus, qui proprie vocatur, vir doctus, timidus, imbecillus, ut fortiter atque audacter calamo utebatur, ita non valebat publice loquendo ac respondendo, ita timide publice prodibat. Quare suo loco Fabrum misit in aulam,[3]) professus autem est, se studiorum hujus viri participem esse, Fabrum Peutingero commendans[4]) atque consilia proferentem faciens, quae etiam sua esse testatus est, quum declararet, ea colloquiis cum illo habitis orta esse, quumque progrediente oratione non raro pro tertia prima persona uteretur.[5]) Et ob eandem causam imperatori quoque ejusque cancellario dixit, se solum literis viam ad pacem restituendam demonstrare velle. Sed tum hoc publice prodeundi taedium etiam alia re effectum est. Iis enim, qui nimio studio ecclesiae causam defendebant et acerbissimo odio Erasmum prosequebantur, nullo modo erui poterat, illum Lutheranae haeresis auctorem non minus detestabilem haereticum quam Lutherum ipsum esse. Atque iisdem viris omne clementiae verbum, omne pacis studium res odiosissimae erant. Quantopere igitur Erasmus sibi ipsi debebat timere, quanto minus poterat sperare, restituendae pacis causam prospere eventuram esse, si ipse publice in hoc negotium incumbebat? Timida mens ei etiam exaggeravit haec incommoda atque huc accedebat, quod ei haud ita penitus erat persuasum, in aula Caroli nihil valere istos nimis vehementes Lutheri hostes. Ob hanc quoque rem in epistola Peutingero scripta consiliorum alium auctorem in primo posuit loco, ob hanc rem postulavit, ne nomen suum evulgaretur, petiit, quo imperatoris aulicorumque animum exploraret, ut certis verbis primo permitteretur consilia communicare.

Ac mox apparuit, quam justam habuisset caute agendi causam. Consilia enim Peutingero data neglecta sunt, ad ea,

---

[1]) cf. Stichart, apud quem paraphrasis partes inveniuntur, l. c. p. 286—87.

[2]) Er. epp. p. 1411 (Pflugio Erasmus a. 1531).

[3]) Er. epp. p. 592 (Peutingero): „Sed hujus consilii viam ipse (sc. Faber) tibi exponet coram.“

[4]) ibid. atque p. 584 (Er. Gattinario).

[5]) Er. epp. p. 590 et p. 590—92. Haec consilia Erasmi quoque fuisse, probatur paraphrasi epistolae Pauli ad Ephesios (Er. Opp. Tom. VII), in qua simile quoddam profertur. cf. Stichart l. c. p. 326—27.

quae ab imperatore atque Gattinario quaesiverat, non responsum [1]) neque quidquam optatorum Wormatiae expletum est. Vetera vituperantibus nihil concessum est, praesentem ecclesiae depravationem minuere, id, quod Erasmus volebat, nullo modo inceperunt. Prodiit e contrario imperatoris edictum, in quo reformationis perficiendae nulla mentio facta est, quodque solum gravissimas imperii poenas in Lutheri caput immisit. Erasmi ipsius securitati hic rerum eventus grave attulit periculum: imperatoris gratia, adhuc ejus praeses adversus inimicorum jurgia, quamvis cautissime rem egisset, adeo prolapsa est, ut amicus quidam in aula commorans admoneret Erasmum, ut ipse in aulam veniens causam suam tueretur. [2]) Quamquam Erasmus operam dedit, ut hoc efficeret, [3]) res tamen Wormatiae peractas continuo improbabat atque paci studere pergebat. Nam ut de edicto Wormatiensi vituperans judicium principi tam plane catholico, qualis erat Georgius, Saxoniae dux, aperte enunciavit, [4]) ita pacifica studia iterum Romae protulit.

Quum Adrianus, quem Erasmus jam diu virum clementem ac prudentem [5]) noverat, ad papalem promotus esset dignitatem, Erasmus ei idem, quod imperatori proposuit, se sub sigillo silentii remedia nominaturum esse, quae paci reparandae utilia haberet. [6]) Ac postquam Adrianus lubentissime propositum approbavit, [7]) Erasmus promisso satisfecit epistola (a. 1523), cujus solum fragmentum exstat. [8]) In hac epistola explicat, quam male suae dignitati atque ecclesiae utilitati prospicientes theologi Lutheri causam adhuc tractaverint, quam ardenter hunc solum prosecuti sint finem, ut ex orthodoxis faciant haereticos. [9]) Graviter eos accusat, quod tantum abfuerit, ut laudaverint ipsius studia ecclesiae utilitati dicata, laudaverint ipsum, quum familiarissimos amicos Luthero addictos non secutus sit, ut minis, calumniis, damnationibus se persecuti sint atque quam maxime studuerint, se ad Lutheri partes propellere. Tum ut antea enunciat, necesse esse, non inutili severitate rem tractari, sed cum clementia „mederi magis quam punire“, adhortatur, ut omnes eo permoveantur, ne privatis affectibus, sed publicae utilitati consulant, ut de suo jure cedere discant. [10]) Denique

---

[1]) Er. epp. p. 1411.
[2]) Spicilegium IV p. V.
[3]) Er. epp. p. 635 (ep. Gattinarii a. 1521).
[4]) ibid. p. 732 (a. 1522.)
[5]) Er. epp. p. 1411—12.
[6]) ibid. p. 737—38 (22 Dec. 1522).
[7]) ibid. p. 744—45 (23 Jan. 1523).
[8]) Er. epp. p. 745—48.
[9]) ibid. p. 747.
[10]) Er. epp. p. 748.

certum asserit consilium, ut declaretur „amnestia“ omnium, [1]) ut autem deinde per magistratus ac principes eae res novae, quae „minimum faciunt ad pietatem, plurimum ad seditionem,“ vi opprimantur et, si fieri possit, libelli prohibeantur. Atque vult populo spem dari mutandarum earum rerum, „quibus non injuria se queritur gravari“, vult consuli „explicandis hominum conscientiis“, quoad „salva pietate“ ac „dignitate principum et episcoporum“ fieri possit. Nam, inquit, „ad libertatis dulce nomen respirabunt omnes.“ [2])

Praeter pacis studium cernitur in hoc Erasmi consilio etiam desiderium illud ecclesiae purioris simpliciorisque faciendae.

Sed neque huic neque illi tum fuit successus. Nam et Adriano data consilia nihil profuerunt; Adrianus non respondit Erasmi epistolae, neque quidquam remediorum adhibitum esse Erasmus cognovit. Atque frustra etiam Clementem VII. modo papam creatum Erasmus certamen ecclesiasticum sentiens adhortatus est, ut vere esset clemens, [3]) frustra quoque, quum ab hoc papa Card. Campegius, vir moderatus, [4]) in Germaniam missus esset, nonnullis evangelicis persuadere studuit, Clementem „non tam aversum esse ab evangelii sinceritate“ [5]) atque ab Hedione, Oecolampadio, Pellicano petiit, ut legato de doctrinis rationem redderent. [6])

Nullo modo nisi utrimque factis impetibus responsum est Erasmo placide loquenti. Inter catholicos hinc atque illinc plurimi adversarii docti in doctique ei prodibant, monachi concionantes populum in eum excitabant, in aulis inimici ejus apud principes auctoritati nocebant, viri docti in ejus libris doctrinas haereticas venabantur. [7]) Et ab altera parte Lutherani eum desertorem ac transfugam habebant, id, quod [8]) magis magisque aperte Lutherus pronunciabat, atque Huttenus sub vitae finem acutissimis odii armis veterem amicum perculit. [9]) Ii, qui antea

---

[1]) ibid.

[2]) ibid. Stichart modo omnino inepto, ut saepe facit, (e. g. . . . „so daß . . . mit den . . gelinden Salben und Pflastern aus der Erasmuschen Apotheke rein gar nichts gedient war!“ l. c. p. 332) non juste despiciens priorem epistolae partem explicat, quae in ea contineantur. l. c. p. 283.

[3]) Er. epp. p. 784 (Clementi VII a. 1524); ibid. p. 812 (Clementis Datario a. 1524).

[4]) Catal. l. c. fol. D_4.

[5]) Er. epp. p. 830 (Er. Melanchthoni a. 1524).

[6]) ibid.

[7]) Catal. l. c. fol. C_5—$_7$ hos adversarios nominat.

[8]) De Wette l. c. vol. II p. 200. p. 195 (epp. a. 1522); a. 1523 delevit Lutherus in editione nova epistolae ad Galatos omnes illos locos, in quibus laudans mentionem fecerat Erasmi sententiarum. (Planck l. c. L. IV. p. 110).

[9]) Scripsit „expostulationem“, quae ipsi Luthero displicuit (De Wette l. c. vol. II p. 498).

bonarum literarum amantes Erasmi reformandae theologiae ac vitae studia elato spiritu prosequentes circum illum se congregaverant, exceptis paucis eum dereliquerant. Et quamvis Erasmus ipse nulli eorum „ob dogmatum varietatem“ [1]) amicitiam renunciaret, quamvis miti Melanchthone ad mortem usque familiarissime usus esset, lata tamen rima veteres socios dissociabat. Erasmus hos humanistas a se digressos, Catholicorum et Lutheranorum undique in se concitata odia respiciens solitudinis affectu obruebatur. Sentiebat hominum animos longe alio incitari, quam quo ipse vocabat, ejusque verba: „solus relinquor in his fluctibus“ [2]) ex intimo corde profluxerunt, quamvis non omnino rerum statui responderent. Nonnulli enim bonarum literarum atque Erasmi permanebant amici, atque plerique iidem viri erant, qui in pugna contra scholasticos insenuerant, qui Erasmi juxta biblia instauratae theologiae studere, ut ille ecclesiae auctoritatem servare atque „Christum colere“ pergebant „majorum ritu.“ [3]) Mutianus et Wimpfelingus praecipue in eorum numero erant. Certo erat Erasmo dulce solatium a talibus viris audire, tristi tempore ipsis „Erasmianam lectionem et fructum afferre et voluptatem.“ [4]) Sed etiam horum literis vehemente dolore Erasmi animus affligebatur, si in iis Mutianus amicorum ad Lutherum digressorum aut fidelium numerum perlustrans querebatur, quod pauci tantum fideles superessent. [5])

---

[1]) Er. epp. p. 1404; Catal. l. c. fol. C_2.

[2]) Er. epp. ed. Basil. a. 1540 (Er. Opp. Tom. III) p. 412.

[3]) Spicilegium XIII p. XII ep. Mutiani a. 1524 Erasmo scripta. Similiter sentit quoque Piso quidam: Erasmum habet principem eorum, „qui christianae theologiae paene omnes recte consultum voluerunt“. (Spicileg. XII p. XIV a. 1522) atque de se ipso dicit: „a factiosis semper abhorrui“ (ibid. p. XV.) Aegidius Buslidius (Spicileg. IV p. VIII a. 1524) laudem tribuit Erasmo tam „moderato, ut in nullius vel gratiam vel odium . . . ab hominis christiani et boni theologi officio“ deflexerit. Paulus Volzius (Spicil. XXIII p. V a. 1524) Erasmo profitetur: „quod te nulli addicis factioni non possum non probare,“ atque Borsalus (Spicileg. XXII p. VII a. 1522) loquitur de „millibus studiosorum tui amantissimorum.“

[4]) Spicilegium XIII p. XIX (Mutiani epistola); eodem modo Wimpfelingus loquitur de Erasmi libris „quibus incipiam solari in adversis“ atque Erasmum appellat „unicum solatium meum.“ (Spicileg XX p. XVIII a. 1520).

[5]) Spicileg. XIII p. XII—XIII — „pluribus, si vacabit, tecum aget Martinus Annuus, magister Erfordiensis, non vulgaris amicus noster“ etc. „Odit rem tumultuosam et malos viros, quos tu sentis efferatiores. Scit Lutherum per unum Philippum fieri celebriorem. Novit audaciam Hutteni. Amat te vehementer. Adhaeret Eobano et Urbano. Utrumque tibi commendo. Ionas, Schalbus, Draco, Crocus a nostra sodalitate defecerunt ad Lutheranos. Eobanus resipuit meo hortatu . . . . Eant alii in laedendis hominibus occupati . . . frustra monemus. Vim fieri veto. Evocant Vestales. Ferociunt tamquam insani.“

Praeter hosce humanistas autem Erasmo sincere addicti persistebant haud pauci veteris religionis confessores: Basileae, Augsburgii, Tridenti episcopi benevolo animo ei dediti erant, praecipue Augsburgii atque in aula Juliacensi Erasmi amici plurimi erant et paene omnibus principibus atque ipsis Romanis pontificibus non plane in odium venit. Sed quum via, quam ipse ingrediebatur, media esset inter utriusque factionis cursum, Erasmus utrimque factis impetibus expositus erat poteratque jure dicere, tutius sibi esse in alteram factionem secedere. [1])

Sentiebat igitur Erasmus, sua studia irenica parum valere; toties frustra ad pacem adhortatus erat, itaque post annum 1524 multo rarius quam antea consilia pacifica dabat. [2]) Non prius pacificatorem se prodituruum esse declarabat, quam utraque pars publica auctoritate se adhortaretur. Jam inceperat componere dialogum inter Trasymachum Lutheranum, Eubulum Catholicum et Philalethen, arbitrum, in quo placabiles exponere sententias atque ecclesiae reformandae consilia disserere in animo habebat. Hunc librum in tres partes dividere voluit, quarum prima inquisiturus erat, „an expediret ea via rem tractari, etiamsi Lutherus omnia vera scripsisset," altera nonnulla dogmata Lutheri examinaturus, tertia viam demonstraturus erat, „qua tumultus hic ita posset sopiri, ut in posterum non facile repullulasceret." [3]) Sed quantumvis imperator atque Georgius dux librum exspectarent, [4]) quantumvis amici, ut perficeret, flagitarent, non antea declaravit se eum editurum esse, quam utraque pars commota amore concordiae hortaretur se ad promissi voluminis editionem. [5]) Quod quum nimirum non eveniret, dialogus revera editus non est atque eodem modo in universum Erasmus, quae sentiebat, enunciare proximis annis cunctatus est. Solo consilio, quod anno 1526 cum Johanne Fabro communicavit, quoque adhibito componerentur religionis dissidia, cognosci potest, quales fuerint Erasmi sententiae. In hoc consilio dicit, profuturum esse, si magistri ac concionatores,

---

[1]) Er. epp. p. 656 (ad Barbirium a. 1521). Quare pericula ab hoc agendi modo proficiscentia Capito jam a. 1522 Erasmo ante oculos ponit: „Cave, ne utramque factionem retenturus in amore tui in utriusque odium incidas. Detestantur te Pontificii . . . Lutherani contra ceu desertorem." (Spicileg. XV p. V). „Videbis omnia pendere in praecipiti modo; continuo inclinabit haud dubium in alterutram partem rerum summa." (ibid. p. VII). — Iam ita elucet, quam injuste praecipue timiditati ac similibus causis Erasmi pacifica studia vulgariter tribuantur.

[2]) Hottinger l. c. p. 29: „Liberior essem, si viderem, me profecturum."

[3]) Catalog. l. c. fol. D_7.

[4]) Catalog. fol. D_8.

[5]) ibid. fol. E.

qui factiosi cognoscantur, scholis atque ecclesiis dimoveantur horumque loco viri eligantur, „qui nihil attingant contentiosorum dogmatum, sed ea dumtaxat tradant, quae sine controversia faciant ad pietatem et ad bonos mores.“ [1]) Erranti populo simpliciter ignoscendum ejusque vitia primo sanari studendum esse, ubi irruperint res novae, id efficiendum esse, ut per magistratus primum liceat cuique secundum conscientiam vivere, homines autem seditiose agentes gravissimis poenis afficiantur. Interea incipiendum esse a rebus ecclesiae reformandis, reliquaque omnia ad synodum generalem rejicienda esse. Ex hoc consilio pristina illa Erasmi sententia aperte cognoscitur, dogmata in theologia non multum valere, plurimum doctrinas morales. Atque ut hanc sententiam, ita etiam cetera ante Lutheri ortum certamen stabilita principia constanter retinebat. [2]) Quae saepius atque in rebus magni momenti cum Lutheri doctrinis congruebant, neque haec consensio laesa aut deleta est certamine illo, quod a. 1524 inter Erasmum et Lutherum exortum est. Nam primum quidem Erasmi libri compositio non ab intimi animi motu profecta, sed aliorum impulsu effecta est. [3]) Accessit, quod Erasmus de doctrina disseruit, quam minus defendit, ut veteris ecclesiae dogmata tueretur, sed ut pietati, bonis moribus restituendis operam navaret. Nam quum statim ab initio Erasmi principium ecclesiae auctoritatem servandam, singulis non permissum esse adversus illam res novas inducere praecipue Lutheri atque Erasmi consortium prohibuisset, Erasmus etiam longius a Luthero recessit, ubi Lutheri modo stabilita doctrina theologorum evangelicorum discordiam, populi seditiosa studia ac morum depravationem in dies accrescentem vidit,[4]) ubi igitur Lutheri reformatio non id effecit, quod Erasmus primum reformandi

---

[1]) Er. epp. p. 962.

[2]) Hottinger l. c. vol. VI p. 29: „Non prodo libertatem evangelicam“; p. 30: „videor mihi fere omnia docuisse, quae docet Lutherus, nisi quod non tam atrociter, quodque abstinui a quibusdam aenigmatis et paradoxis.“ — Catalog. l. c. fol. D_4: „Magnum vero crimen, si, quod nunc seditiose fit, cupio citra seditionem fieri principum assensu“. — Er. epp. p. 830—31 (Erasmus Melanchthoni 10. Dec. a. 1524): „non defuturus sum evangelico negotio“ „illud polliceor, me nunquam scientem arma sumpturum adversus evangelicam veritatem.“ (ibid. p. 832).

[3]) Hoc profitetur Melanchthoni (Er. epp. p. 819—20. Sept. a. 1524); Episcopo Roffensi (ibid. p. 815 4. Sept. 1524). Quam graviter sepe admonitus sit, ut contra Lutherum librum emittat, probant Tonstalli, episcopi Londinensis verba: „Per ego te Christi tot exhaustos mortali corpore labores, per illum sanguinem, quem in mundi pretium moribundus profudit, per“ etc. etc. „obsecro atque obtestor te, Erasme, immo vero te orat et obtestatur ecclesia, ut cum hac hydra tandem congrediare.“ (Er. epp. p. 772 a. 1523).

[4]) Döllinger: Reformation vol. I p. 9 et 11.

finem statuerat. Hujus depravationis causam non minimam habuit nonnullas Lutheri doctrinas, quibus aperiretur malis „fenestra“ ad licentiam. In talium doctrinarum numero posuit Lutheri illud: „nullum esse liberum arbitrium.“ [1]) Itaque ne gradum quidem Lutherum aggrediens ob ejus doctrinam de libero hominis arbitrio prolatam discessit a suis principiis: minus ut ecclesiae dogmata, quam ut „christianam pietatem“ tueretur, vocem emisit. Quamquam opinioni obsequens licere persuasiones celare, nisi eas profiteri prodesset, [2]) apud catholicos libenter id solum enunciabat, se auctoritati ecclesiae parere [3]) atque alios, ut eodem modo sententias dissimularent, adhortabatur, [4]) quamquam, ut amicis Lutheri addictis placabilem imbueret animum, profitebatur semper fuisse res, de quibus homines queri possent, [5]) attamen reformandi studium atque pristinas persuasiones theologicas sibi servabat atque saepius pronunciabat. [6]) Sed horum studiorum harumque doctrinarum non amplius ulla remanebat anctoritas, si alterutra pars catholica aut Lutherana adversantem devincebat atque prosternebat, ea sola conditione effectus iis esse poterat, si utraque pars placabili animo implebatur. [7])

Videbatur autem circa annum 1527 Lutherus ipse de sua causa desperare. Discordia enim atque morum depravatio ejus

---

[1]) Er. epp. p. 831: „Haec ab improbis in pessimam partem rapiuntur.“

[2]) Hottinger l. c. VI p. 29 Er. Zwinglio: „Dementiae est tibi perniciem arcersere, si nulli prosis.

[3]) Er. epp. p. 919: „Ego rogatus sententiam a magistratu (sc. Basiliensi) respondi, me nihil aliud credere, quam quod definisset ecclesia catholica.“

[4]) ibid. p. 1759—60: „Illud tantum . . moneo rogoque, ut a sectarum contagiis in totum abstineas.... etiam sicubi dogmatibus illorum assentiris, dissimula. Nolim tamen te adversus eos contendere. Satis est jure consulto sic eludere eos, quemadmodum quidam elusit diabolum moriturus. Diabolus suggessit, quid crederet; ait, quod credit ecclesia. Tum ille: quid credit ecclesia? Quod ego. Quod tu credis? Quod ecclesia.“ (Erasmus Zuichemo Phrysio); de Grynaeo dicit Erasmus: „admonui, ut si quid affectus erga Sectas, in Anglia dissimularet.“ (ibid. p. 1760). Similia Damiano a Goes scribit (Er. epp. p. 1493): „Consultissimum est, ut de Sectis neque bene neque male loquaris, quasi ista non cures neque intelligas.“

[5]) Er. epp. p. 831 (Melanchthoni Erasmus): „nunquam defutura sunt, de quibus queraris.“ — Epistola Erasmi contra quosdam, qui se falso jactant evangelicos. ed. Coloniae apud Gymnicum a. 1542: „Si Paulus hodie viveret, non improbaret, opinor, praesentem ecclesiae statum: in hominum vitia clamaret.“ fol. C_4.

[6]) Er. epp. p. 830; Catalog. l. c. fol. D_4.

[7]) Catalog. l. c. fol. D_8: Partes ita depugnant, ut, si altera vincet, „magnam evangelicae veritatis et libertatis ruinam“ effectura sit, si altera, futurum sit nullo modo „nisi pernicioso orbis tumultu. Ego malim rem ita componi, ut utraque pars victoriam concederet veritati et gloriae Christi.“

operi fundamentum subtrahebant.[1]) Qua scilicet re effectum est,[2]) ut Erasmus judicaret, Lutheranam rem incipere declinare.[3]) Intelligebat vero Erasmus, victoriam completissimam reportari ab iis, qui mordicus ecclesiae rem defendebant, si Lutherana factio tum et ita depugnaretur. At compertum habebat, hos catholicae rei nimis studiosos pugna irritatos „servitutem, quae jam erat intolerabilis," conduplicasse.[4]) Itaque eorum victoriam quam maxime perhorrescebat: „Si inclinat Lutherana factio," anno 1528 Hermanno de Nova aquila scripsit, „quod, ut fiat, ipsi sedulo dant operam, exorietur intolerabilis pseudomonachorum tyrannis."[5]) Quum in Gallia duo homines, qui in Quadragesima carnem comederant, de vita periclitati essent, quum tertium concremare voluissent, qui dixerat, monasterii loco orphanorum domicilium strui melius esse, rerum imminentium prolusiones haec esse opinatus est.[6]) Quare aliquando acerbissima ironia: „fuit, inquit, olim regnum Assyriorum, Graecorum, Medorum: quid, si deus aliquis nunc velit, esse regnum monachorum aut stultorum?"[7])

Necesse erat, his considerationibus atque sollicitudinibus Erasmum commoveri, ut rursus majore fervore studiis irenicis se daret. Itaque cum Lutheranis, parte in angustias adducta, pacis consilia communicavit. Vulturio Neocomo, qui nuper ad evangelicos discesserat, id se desiderare declarat: „utinam per quosdam vestrae professionis liceat mederi pristinis."[8]) Atque tum haec sua remedia profert: „quae officiunt pietati sanentur, quae pia sunt, in his consentiamus, quae nec admodum adducunt ad pietatem nec officiunt, sinamus in his unumquemque in suo sensu abundare."[9]) „Quae sunt ardua, sic

---

[1]) De Wette l. c. vol. III p. 214 (27. Oct. 1527). Petit Lutherus a Melanchthone: „Ora pro me misero et abjecto verme, tristitiae spiritu bene vexato;" (ibid. vol. III p. 220, 10. Nov. 1527) Justo Jonae scribit: „Erasmum (sc. librum Erasmi „Hyperaspistes" intitulatum) et sacramentarios nondum legi . . . recte faciunt, si me miserum conculcent;" Lutheri Opp. ed. Jen. a. 1556 vol. III. fol. 458: „was wird das für ein wust wesen in künfftiger zeit werden, wenns so schrecklich zugehet, da die lere kaum recht angegangen ist?" „Dringt mich denn der Herr also mit allen seinen Fluten?" Bugenhagen et Justus Jonas post Lutheri mortem hunc ejus animi statum descripserunt libello (Luth. Opp. ead. ed. vol. III p. 458—61).

[2]) Döllinger l. c. I p. 11.

[3]) Er. epp. p. 1017: „Lutherana res incipit declinare (Erasmus Carolo V a. 1527); ibid. p. 1091: „in dies mitescit febris Lutherana" (a. 1528).

[4]) Er. epp. p. 1030 (Bucero Erasmus a. 1527).

[5]) Herminjard l. c. vol. II p. 152.

[6]) ibid. p. 153.

[7]) Er. epp. p. 1404.

[8]) Epist. Erasmi contra quosdam, qui se falso jactant evangelicos l. c. fol. B_8 (mens. Nov. a. 1529). [9]) ibid.

in aliud tempus differantur, ut interim maneat inter discordes benevolentiae concordia.“ [1]) — His studiis promovendis inter Lutheri sectatores Erasmus nullum videbat aptiorem Melanchthone, qui ei declaraverat: „mihi nihil unquam erit antiquius publica pace, adhortatus sum eos, qui in ecclesia docent ad moderationem.“ [2]) Melanchthon autem praecipue a. 1530 Augsburgii in comitiis studia pacifica se adjuturum esse sperabat,[3]) et ab aliis res agebatur, ut ibidem Erasmus cum Melanchthone colloquens auctoritate ad sarciendam concordiam uteretur.[4]) Sed Erasmus de Melanchthone optime quidem sentiens permoveri non poterat, ut huic consilio assentiretur. Quamquam enim, quum actiones publicae Augsburgii inceptae essent, multi[5]) et magnae auctoritatis viri[6]) ab eo petierunt, ut Augsburgium se conferret, ipse ut antea publice prodire cunctatus est. Male speravit de hujus conventus successu, in quo adversarios suos plurimos adesse cognitum habuit.[7]) Itaque non exspectavit, ea, quae cum Melanchthone statuisset, ab imperii statibus receptum iri, praecipue etiam desideravit, quod non imperatoris nomine venire jussus esset, atque hoc instigantibus adversariis factum esse putavit.[8]) Quare se aegrotare declarans Augsburgium non venit.

Sed compluribus literis ac consilio dato Card. Campegio, pontificis in Germania legato,[9]) multis verbis bellum contra protestantes gerendum dissuasit adhortatusque est, ut certis conditionibus tolerarentur.[10]) Eodem modo scripsit Augustano episcopo.[11]) Imperatorem autem ejusque fratrem non adiit, „ne, inquit, me periculoso negotio sponte admiscerem.“ [12])

Quamquam igitur ab omnibus publicis negotiis abstinuerat, tamen quum Augsburgii actionibus prosper finis non fuisset,

---

[1]) ibid.

[2]) Er. epp. p. 1072 (ep. Erasmo a Melanchthone missa a. 1528).

[3]) ibid p. 1299 (a. 1530).

[4]) ibid. p. 1412.

[5]) Er. epp. p. 1299: „Multi me literis hortantur, ut adsim concilio;“ Corpus Reformatorum ed. Bretschneider vol. II p. 288 (Erasmus Melanchthoni 18. Aug. 1530).

[6]) Spicilegium V p. VII (ep. episcopi Tridentini); Spicilegium XIV p. XXIII.

[7]) Er. epp. p. 1412.

[8]) Corp. Ref. l. c. vol. II p. 288: „Multi scribebant: utinam adesses, Caesaris nomine nemo jussit adesse.“

[9]) Hoc consilium invenitur apud Coelestin: hist. Augsb. Conf. Tom. III p. 29.

[10]) Er. epp. p. 1303 (Er. Campegio 18. Aug. 1530); ibid. p. 1316 (Er. Campegio 7. Sept. 1530).

[11]) Corp. Ref. l. c. vol. II p. 244 (Er. Melanchthoni 2. Aug. 1530).

[12]) ibid. p. 288.

etiam magis oculi omnium, qui paci studebant, in Erasmum conversi sunt.[1]) Nam etiam mortuis Wimpfelingo, Mutiano, aliis Erasmo haud pauci persistebant amici aetate minores, qui in ejus libris Erasmi literarum scientiam admirabantur atque studia ejus theologica sequebantur.[2]) Inter quos naturae dotibus et studio elucebat Pflugius, tum in aula Georgii ducis vivens. Hic quidem juvenili ardore a. 1531 ab Erasmo flagitavit, ut cum Melanchthone actiones inciperet, ut ipsius nominis valore atque utrimque factis concessionibus pax repararetur.[3])

Sed Erasmus omnes adhuc de pace actiones inanes fuisse neque sua remedia adhibita esse cognoverat; evanuerat timor, ne catholicis celeriter succedere posset Lutheranos depugnare, sed itidem evanuerat spes mox infigendarum persuasionum suarum ardentibus et ira obscuratis animis. Quare amplius negotio adesse eum pertaesum est.

Ita sentiens Pflugio respondit, se aetate, aegritudine, insectationibus defectum quiete vitam finire in animo habere,[4]) malumque tum demum sanabilius fore, „si utriusque status monarchae sinceris animis consentirent ad instaurandam evangelicam pietatem.“ Quod si evenisset, „tum res committeretur centum aut quinquaginta viris“ . . . „horum suffragia per pauciores electos redigerentur in compendium. Constitutiones quaedam abrogarentur, quaedam verterentur in exhortationes.“[5]) Sed apertius videbat, quam longe homines etiam abessent ab illo scopo evangelicae pietatis, ad quem ipse populum christianum perducere voluerat, atque declarans pacem restitui non posse, nisi antea homines illum assecuti essent, persuasionem sibi statuebat, solum hominum viribus ad exitum perveniri non posse.

Itaque iterum atque iterum declarabat, humana remedia et artes nihil efficere, nisi deus antea episcoporum et principum animos spiritu vere christiano afflaret,[6]) omnia pacis studia vana, periculum immutatum esse exitialis belli.[7]) Jacta-

---

[1]) Er. epp. p. 1401 (Pflugius Erasmo 12 Maji 1531): „In te unum omnium, qui pacem expetunt, oculi sunt conjecti.“

[2]) Er. epp. ibid.: „cum nos ad pietatem et ad studia excitaris.“ — in universum permagna perstiterat Erasmi auctoritas lateque valebat: a. 1533 Grofficius Polonus Erasmo scribit: „Ego aliquando cupidius magisque pie tuam dexteram sum deosculatus quam . . . sacros summi pontificis Clementis . . . pedes beatos. (Spicilegium XXXII p. XIII a. 1533); quondam ipse praesul Boppardiensis (Christophorus Eschenfelder) summo gaudio sicut amicum Erasmum, quum Boppardiam forte appulisset, hospitio accepit. (Spicilegium XV p. XVII—XVIII).

[3]) Er. epp. p. 1401.

[4]) Er. epp. p. 1410 (a. 1531).

[5]) ibid.

[6]) Er. epp. p. 1400 et similiter p. 1396 (a. 1531).

[7]) ibid. p. 1367 (a. 1531 Egnatio).

batur concilii generalis utilitas, at Erasmus dubitabat, quin perficeretur et quin in praesente rerum statu profuturum esset.[1]) Laudabatur imperatoris animus, attamen Erasmus eum videbat nimis deditum clericis circa eum atque papae,[2]) cui quam male confisus sit, judicium cum Melanchthone communicatum testatur: „pontifici spectaculum non ingratum exhibebunt Germani se mutua laniena conficientes.“ [3])

In „Precatione ad Dominum Jesum pro pace ecclesiae“ hunc animi de humano auxilio desperantis motum pulcherrime verbis expressit: „tempestas vincit humanam industriam, imo videmus opitulari volentium conatus in diversum cedere;“ [4]) quare precatur ad dominum: „da ecclesiae tuae labescenti, quod dedisti nascenti.[5]) Conditor es, instaura plasma tuum.“ [6])

Hoc divino auxilio confisus, quamvis res male turbatae, salubria consilia non in promptu essent, spe felicis rei exitus non destitutus est. „Fata viam invenient, spero hos omnes ecclesiae tumultus tandem in bonam catastrophen exituros artificio summi illius chorargi, cujus inscrutabili consilio res hominum temperantur;“ hisce ac similibus verbis solatium afferebat Pflugio,[7]) Georgio duci,[8]) aliis amicis.[9]) Quod rerum politicarum status jam dudum non tam prosper fuerat, quam fuit sub initio tertii seculi decennii, quod spes pacis cum Turcis sarciendae, quod Italia quieta atque cum Gallia arctissima consuetudo erat, quod Henrici VIII negotium admodum non periculosum atque Hispaniam felicem habere poterat, hae res omnes non minime ejus spem inflammabant, etiam in Germania res rursus ad meliora detortum iri.[10]) Quum autem Erasmus hanc rem solo auxilio ab ipso Deo allato eventuram esse crederet, necesse erat, eum persuasum habere, hoc per illos allatum iri, quos Deus, ut mundum regerent, sua organa posuisset, per ecclesiae et civitatum principes. Quam ob rem primum id

---

[1]) Er. epp. p. 1409 (Pflugio a. 1531): Malum, „cui ne synodo quidem *οἰκουμενικῇ* video medicinam adferri posse.“

[2]) Er. epp. p. 1436 (a. 1532): — „paullo melior esset laeti spes eventus, nisi Caesaris pietas tantum tribueret quibusdam infulatis.“ ibid. p. 1394 et p. 1396 queritur de papae apud Caesarem auctoritate.

[3]) Corp. Ref. l. c. V. II p. 268 (Erasm. Melanchthoni a. 1530).

[4]) Precatio ad Dom. Jes. etc. libellus adjectus libro Erasmi: „De sarcienda ecclesiae concordia,“ Colon. apud Gymnicum a. 1543 p. 121.

[5]) ibid.

[6]) ibid.

[7]) Er. epp. p. 1410.

[8]) ibid. p. 1772.

[9]) ibid. p. 1373 (ep. ad Montjoium 18. Martii a. 1531): „summus ille Chorargus omnia sicuti spero, conferet in laetum exitum;“ ad Velium (15. Martii a. 1531) p. 1372.

[10]) ibid. p. 1372.

efficere studet, ut horum auctoritas, quoad fieri possit, apud populum salva permaneat, ut populus propensus fiat, ab his ecclesiae reformationem expectare, ut res novae a singulis privata auctoritate inductae prohibeantur. Gravibus verbis adit populum „Germaniae inferioris et Phrisiae orientalis“ [1]) eum adhortans: „exspectate divinum oraculum per eos, penes quos dominus ecclesiae gubernacula esse voluit, id demonstrans, quae ferri non possint, ea principum auctoritate resecatum iri multo efficatius, quam per quoslibet imperitos medicos, [2]) non succedere ecclesiae correctionem, nisi a summatibus oriatur: a Caesare et Pontifice [3]) et denique flagitans: interim manete in unitate corporis.“ [4])

Ad eundem finem populi ad tempus retinendi veteri auctoritati obedientis et concordiam quamvis exteriorem servantis spectant quoque Erasmi studia ad ordinandas res ecclesiasticas ducatus Juliacensis adhibita. Arcte enim conjunctus cum duce[5]) ejusque consiliariis [6]) commovebatur, ut clam adjuvaret eos in animo habentes res aliquot corrigere, at ecclesiae catholicae formam et auctoritatem tueri, res novas prohibere, ante omnia populi animos ad tempus pacificare. [7]) Quod appetitum est utraque a duce pronunciata „ordinatione,“ quarum prior anno 1532, posterior a. 1533 evulgata est. [8]) Erasmus autem eo perducebatur, ut priore ordinatione nondum evulgata consilium theologicum duci daret, ad quod ordinationis statuta ita accommodata sunt, ut Erasmi verba simpliciter translata appareant.[9])

---

[1]) Responsio Erasmi ad epistolam apologeticam incerto autore: nisi quod titulus forte fictus habebat: per ministros verbi ecclesiae Argentinensis. Colon. ap. Gymnicum a. 1542. (libellus scriptus est 1530) fol. H_3.

[2]) ibid. fol. H_5.

[3]) ibid.

[4]) Responsio l. c. fol. H_4 et similiter A_2.

[5]) Jam anno 1517 dux Erasmo scribit: „maximum nunc de te capio argumentum amicitiae inter nos conflatae“ etc. (Er. epp. p. 1617).

[6]) Praecipue cum Vlatteno, Canonico Cranenburgensi et ducis consiliario, ingenua ei erat amicitia. cf. eorum epp. mutuo scriptae. Spicilegium XVII p. IV, p. VI, VIII, IX, XII, XIV. Er. epp. p. 1140, 1298, 1704, 1742, 1758.

[7]) Cornelius, Münsterscher Aufruhr B. II 1860 p. 167—69; Jacobson: Geschichte der Quellen des evangelischen Kirchenrechts in Rheinland und Westfalen. Königsberg 1844 p. 19—23.

[8]) Scotti: Cleve-Märkische Gesetze und Verordnungen. Düsseldorf 1826 utriusque ordinationis contextum imprimendum fecit V. I. p. 56—62. (prior ordinatio); p. 62—82 (posterior ordinatio); ordinationum contextus invenitur etiam apud Richter: die evangelischen Kirchenordnungen des 16. Jahrhunderts, Weimar 1846 vol. I p. 160—62 (prior ordinatio) ibid. p. 212—20 (posterior ordinatio).

[9]) cf. Excursum p. 46 seq.

A primo usque ad ultimum verbum respondent ea statuta Erasmi studiis ac doctrinis, tam plane ejus animum spirant, ut non facile amicus aut discipulus quidam, studiorum socius, Erasmi sonum tam accurate reddere potuisset. Quae statuta primum quidem id praecipiunt, ut ecclesia in suo valore persistat, et ideo a seditionibus et novitatibus dehortantur, expresse flagitant „eynicheit und fridden." [1]) Paci rationem habentia atque Erasmi judicio, dogmata in theologia minoris momenti esse, consulto sacerdotes negligere jubent „die irrige und strydige artickel" [2]) atque populum de dogmatibus disputare vetant,[3]) id, quod Erasmus semper urgebat. Memoratu autem quam maxime dignum est, semel discedere priorem ordinationem ab aliter habita ratione evitandarum dogmatum differentiarum. Erasmus enim aliquam Lutheri doctrinam cum sua non consentientem nominans semper profert eam, servum esse hominum arbitrium atque solam fidem justificare, ob hanc quidem causam, quod moribus nocentem habuit. Et hanc ipsam et solam doctrinam ordinatio expressis verbis improbat, „daß der glouff sonder Penitenz, sonder die lere der geboder und forcht gottes und liebe des nechsten nit bestän mag." [4])

Ut igitur jam hoc judicium, ita fere omnia ordinationis praecepta ad reformandos mores spectant. Quamquam itaque populo imponitur, vetera instituta atque veteres usus servare, attamen non minus sacerdotibus inculcatur, ut eorum significationem populo exponant eaque moribus utilia reddant. [5]) Sed ut Erasmus sacrae scripturae praecepta moralia observata plurimum profutura esse sperat, ita etiam ordinatione sacerdotes populi animo decalogi praecepta atque symbolum [6]) infigere jubentur eique precationum formulas proponere, quae ex vetere et novo testamento excerptae sint. [7])

Ita igitur prior ordinatio omnino habet speciem Erasmi animi; ejus statuta pacis restituendae, morum corrigendorum studium in medium proferunt.

In ducis aula optime sperabatur de horum praeceptorum successu, [8]) prioris amplificatio, posterior ordinatio diu sustentabatur, saepius praedicebatur et postea habitarum consultationum fundamentum erat. [9])

---

[1]) Scotti l. c. p. 61. [2]) ibid.
[3]) ibid. p. 61.
[4]) ibid. p. 60 punct. 9.
[5]) Scotti l. c. p. 59 punct. 6, 7; p. 60 punct. 10, 11; p. 60—61 punct. 11 et 12; p. 61. punct. 13.
[6]) ibid. p. 57—58 punct. 3 et 4 — p. 70—71 (posterior ordinatio).
[7]) ibid. p. 58 punct. 5; — p. 72. (p. o.)
[8]) Spicilegium XVII p. XIV ep. Vlatteni ad Er. (3 Maji 1533).
[9]) Jacobson l. c. p. 23.

Erasmo ipsi autem dux gratum se praebuit ei annua decernens triginta aureos Rhenanos [1]) atque desideravit, ut etiam amplius suae ditionis sacerdotes consiliis adjuvaret. [2]) Sed Erasmus consilia denuo a se petita sentiens delegavit ad libros suos aliquot jam editos, [3]) laudavit quidem ducis studia ac coepta, judicavit, „seditiosis concionatoribus“ silentium imponendum esse atque tum, „de quibus populus non injuria quereretur, paullatim atque sine tumultu corrigi debere,“ [4]) sed significavit non obscure, se desiderare, ne amplius rei admisceretur, quum aliter novae sectae „moderatorum“ parens diffamaretur. [5])

Neque tamen hoc metuens prohibitus est, quominus ad sedandos religionis tumultus in civitate quadam Germaniae exortos, similia consilia, ac quae duci Juliacensi dederat atque expressis verbis ad ea delegans [6]) afferret. Literarum, quibus continentur, nobis fragmentum solum in initio ac fine truncatum sine inscriptione, sine die et anno servatum est. [7]) Ex verbis autem relictis cognosci potest, eas non ante annum 1533 et facile hoc ipso anno [8]) familiarissimo amico [9]) scriptas esse, atque ob nonnullas res putare licet, civitatem illam, de qua oratio est, Augsburgium fuisse. [10]) Etiam haec epistola consopiendis rixis appositas rationes profert, ne aperte a vetere ecclesia discederetur neve utrimque dogmatum differentiae urgerentur. Praecipue ob hanc causam memoratu digna est, quod ea etiam dilucidius, quanta evangelicis concedat, intelligatur. Missas enim et parentalia prodesse defunctis, sanctos rogare posse pro vivis hominibus, peccatorum confessionem partem sacramenti esse, purgatorium exstare similiaque dogmata tam parvi ei videntur esse momenti, ut de iis quemque velit

---

[1]) Spicilegium XVII p. XIV.

[2]) ibid. p. XV.

[3]) Er. epp. p. 1759.

[4]) ibid.

[5]) Er. epp. p. 1758.

[6]) Er. epp. p. 1892 „Hoc consilium secutus est dux Juliacensis.“

[7]) Er. epp. p. 1891—92 (Append.) Haec epistolae natura nondum cognita erat. —

[8]) ibid. p. 1892: „dux Juliacensis fatetur prospere cedere“ id, quod hic 4 Maji 1533 per Vlattenum fecit (Spicilegium XVII p. XIV).

[9]) Quum in epistola mentionem faciat consiliorum duci Juliacensi clam datorum.

[10]) Augsburgii tum certamen religionis etiam vehementer ardebat, neutraque pars jam plane vicerat; Augsburgii vivebant plurimi Erasmi amici maxime familiares, itaque ei cordi erat praecipue huius civitatis rerum status atque habebat ibi, cum quibus secreta sua consilia communicare posset; de Augsburgii rebus denique loquitur eodem loco, ubi apud Vlattenum de consiliis duci Juliacensi datis orationem facit. (Er. epp. p. 1759).

„in suo sensu abundare“ neque eadem negantes et asseverantes ob hanc opinionum dissensionem justam causam habere declarat concordiae omnium pacisque publicae rumpendarum. [1])

Dum ita Erasmus et adhortationibus publice quidem traditis, sed de certis rebus non disserentibus et consiliis certis personis certa proponentibus operam dedit, ut primo ad tempus tolerabilis saltem rerum status efficeretur, pax et concordia et ecclesiae auctoritas quamvis specie solum restituerentur et ita accrescens ecclesiae dissolutio impediretur, Pflugius literis Erasmi recusantibus ea, quae ab illo petierat, non deterrebatur, quin illum ad publicum agendi theatrum vocaret atque admoneret, ut publicis actionibus ad malum penitus sanandum sua studia adhiberet. [2]) „Quod autem cogitas rudem sumere, istud tibi profecto per eum, qui tribuit, ut posses hominum generi praeclaram operam navare, nunquam licebit“ [3]) animo valde permotus clamitavit.

Atque ut hoc vere dictum esset, alius quoque cum Pflugio similibus studiis junctus, sed etiam acrior admonitor progrediebatur, Wicelius scilicet, qui quum nuper a Luthero discessisset, omnia vitae studia pacis reparandae negotio devoverat.

Duabus uterque virtutibus praeditus erat, quae huic negotio et hunc et illum Erasmo aptiorem reddiderunt:

Juvenili ardore fervebant atque patriae amore, quo Erasmus a totius mundi amore profectus, [4]) neque cum animo Germanico coalescens neque Germanorum linguam satis bene intelligens [5]) non affectus erat.

Quamvis igitur hisce virtutibus ei antecederent atque dissimiles essent, attamen ut Pflugius, ita etiam Wicelius Erasmi persuasionum theologicarum particeps erat iisque movebatur. Nam et Wicelius orthodoxiam habuit biblicam illam Erasmi theologiam, [6]) hanc mediam inter haereticas et scholasticas opiniones solam salubrem habuit [7]), hanc summo ardore praedicavit, Erasmo enim asseverans: „maleficiat mihi Deus, si isthoc insincere scribam“, [8]) serio ei profitetur: „rebus chri-

---

[1]) Er. epp. p. 1891.

[2]) Epist. ad Jul. Pflug ed. Müller Lipsiae 1802 p. 141.

[3]) Er.: De sarcienda eccles. conc. l. c. p. 112.

[4]) Querela pacis l. c. fol. C_8 Galliam praecipue deamat, cujus regnum omnibus aliis anteponit (ibid. fol. B_{7-8}).

[5]) Lutherum irridet ob purioris reddendae linguae germanicae labores dicens patris Lutheri negotio metallorum puriorum reddendorum ei insitum hoc studium esse (Er. epp. p. 914 a. 1526).

[6]) „Pugna pro orthodoxia, sta pro veteri theologia.“ (Ep. Wicelii ad Er. 1532. 8 Sept. Spicilegium XXX p. X).

[7]) ibid. „Illae (sc. haereses) subvertunt omnia, hae (sc. scholae) conservata defoedant, nemo igitur aptior Palaemon etc.

[8]) ibid p. IX.

stianis non ita commodavit post apostolos theologorum ullus seu connumeres palaeotericos seu neotericos, etiam ii, qui librorum plurimorum commendatione nobilissimi sunt veluti quatuor illi ecclesiae doctores, quorum tu duos illustrans illustratos vicisti, breviter: „nemo tam profuit atque tu.“ [1]) Quare quidem de eo judicat; „Nemo in Europa vivit, qui rem fidei te vel rectius intelligat, vel fidelius in ea vigilet, vel severius expendat.“ [2])

Apparet Wicelium consimilibus verbis et eodem animo Erasmum ejusque studia theologica praedicare atque ante Lutheri ortum certamen Erasmi amicos illos ejus theologiae deditos. [3]) Quare mirum non est, utrumque virum et Pflugium et Wicelium tanti Erasmum aestimantes tantaque de eo sperantes quam maxime in ea re enixos esse, ut illum permoverent, ut pacis studii ac saluberrimarum doctrinarum testimonium publicum redderet, praesertim Wicelium id prosecutum esse, ut Erasmi auctoritatem conciliaret, ut cum industria instaret concilio generali habendo, quod tum maxime Wicelio in votis erat.[4])

„Salve vir Dei!“ [5]) hac verborum gravitate Erasmum alloquitur atque adhortatur: „repugna utraque manu, resiste utroque pede tam schismaticis quam sophisticis commentis.“ [6]) „Exhauri labores sanctissimos, precibus flecte Deum iratum. Disputationibus decerta cum Antecclesiasticis pariter et mataeologis tuis. Hortatibus crebris exstimula monarchas, ut Christo suo dignior, quoad fieri potest, reddatur ecclesia. Imprimis vero, quos ore petes et quos epistolis sollicitas, accende, ut de oecumenico concilio non solum cogitent, verum etiam hoc mature exsequantur.“ [7]) Ut efficaciorem redderet hanc hortationem, etiam graviora verba adjungit: „mali hujus non aestimandi culpa in cervices vestras transferetur columina, qui potuistis nec fecistis, ut melius haberet sponsa Christi.“ [8]) Et alias hisce verbis eum inflammabat: „Non audirem, si Caesar essem: laboro ex calculo, venire non possum. Imo juberem ego Appium et senem et calculosum deferri. Non est ante portas Hannibal, sed cacodaemon eversionem christianae reli-

---

[1]) ibid.
[2]) Spicilegium XXX p. X.
[3]) cf. p. 31.
[4]) cf. Kampschulte: de Wicelio, Paderbornae a. 1856 p. 13—14; Spicilegium XXX p. XI „hoc demum remedio dissidia citius tolli poterunt, quam“ etc.
[5]) Spicilegium XXX p. VIII.
[6]) Spicilegium XXX p. X.
[7]) ibid. p. XI.
[8]) ibid. p. XII.

gionis ad extremum molitur. Unus tu multorum instar ea propones, ea disputabis, ea respondebis, ea dijudicabis, ea consules, ea censebis, quae nemo.“ [1])

Tam vehementer urgentibus amplius resistere non valens neque tamen ita eorum optata explens, ut ipsi speraverant, [2]) pro pace Erasmus vocem ad populum emisit; anno 1533 prodiit ejus liber Pflugio dedicatus: „De sarcienda ecclesiae concordia deque sedandis opinionum dissidiis.“ Publice in eo profert et magis explicata illa judicia, quae ex consiliis duci Juliacensi atque amico, ut suspicamur, Augustano clam datis cognovimus: Status tolerabilis apprime efficiendus est; pax et auctoritas ecclesiae ante omnia servanda, dogmatum diversitates non admodum urgendae sunt, moribus correctis res depravatae vere reformantur; si inde inceptum erit negotium, omnia, „quae controversa remanent, ad concilii decisionem referantur.“

Quare primum quidem eorum miseriam verbose deplorat, qui ab ecclesiae consortio discesserunt, moratur in exponenda haereticorum malitia, qualis toties omnibus temporibus inveniatur, exempla affert et ipsa quam maxime detestabilia. [3]) Tum ecclesiae magnificentiam atque splendorem vitae in „tabernaculis Dei“ splendidis depingit coloribus. [4]) Ut, ait, bestiae habent locum, ubi secure acquiescunt, [5]) ita homini data est ecclesia, [6]) in quo „nido tuti conquiescimus.“ [7]) „Nos igitur si quaerimus veram animi quietem, perseveremus in tabernaculo Domini virtutum, maneamus in unitate ecclesiae catholicae.“ [8]) Ei autem soli haec ecclesiae dona eveniunt, qui, „quod e scripturis divinis tradidit nobis ecclesia catholica, firma fide“ tenet, „quod praecipit, simplici obedientia“ servat. [9]) Neque hi vivunt secundum ecclesiae regulas et dogmata, „qui tantum respiciunt ad cerimonias, condonationes ac diplomata pontificum,“ neque perveniunt ad illam beatitudinem; [10]) sed ii, qui pietatem veram, intimo cordi insidentem exercent. Itaque omnes ad vitam funditus corrigendam gravibus verbis adhortatur: „sit unus-

---

[1]) Er. epp. p. 1756 (ep. Wicelii 30 Martii 1533).

[2]) Ep. dedicatoria ad Julium Pflugium directa (31 Julii 1533) libri de sarcienda ecclesiae concordia l. c. p. 3 –4 dicit: quum neque plane repudiare neque explere posset Pflugii optata, „medium quiddam reperi, quo te posthac utar aliquanto placatiore. Tractavi psalmum 83 etc., quo divinus ille spiritus mire nobis commendat ecclesiae concordiam.“

[3]) de sarc. eccl. Conc. l. c. p. 19—25.

[4]) ibid. p. 26.

[5]) ibid. p. 39—41.

[6]) de sarc. eccl. l. c. p. 42

[7]) ibid. p. 55.

[8]) ibid. p. 51.

[9]) ibid. p. 85.

[10]) ibid. p. 64.

quisque, quod esse debet, sint pontifices pontifices, Christi vicarii, syncero corde gregis dominici curam agentes. Sint principes principes, divinae justitiae ministri, monachi perfectionem, quam titulo profitentur, moribus praestent. Sacerdotes noctes et dies meditentur in lege domini, quo possint esse sal populi. Qui laici sunt, reverenter obtemperent sacerdotibus, fideliter pareant principum legibus.“ [1]) Si huic vitae correctioni serio adhibebitur studium, si itaque privata odia atque rixandi libido facessent, [2]) tum omnes sentientes „piorum concordiam coelestis illius civitatis imaginem nobis repraesentare, in qua nulla est opinionum dissensio“, [3]) animo pacifico implebuntur, qui eo illos adducit, „ut utraque pars alteri se nonnihil accommodet.“ [4])

Talis dissidii compositionis et modum et conditiones accuratius exponit. Persuasum habet: „Dum illi nihil omnino patiuntur innovari, hi nihil sinunt relinqui, tempestas orta est.“ [5]) Quare alteri parti id opponit principium: „Pleraque paullatim ac per occasionem irrepserunt, ea paullatim et per occasionem tollenda sunt;“ [6]) alteri illa objicit: Ne moveantur „ἀκίνητα“ atque: non licet „temere desciscere ab iis, quae majorum auctoritate tradita sunt.“ [7]) Si utraque pars his principiis ducitur, pacis reconciliatio facilior est. De dogmatibus nulla sit verborum digladiatio, neve ingerantur bonis moribus noxia, quale est illud: „nihil refert, qualia sint opera nostra, tantum habeto fidem et servaberis.“ [8]) In omnibus doctrinis, quae contentiosae remanent, ut in illis: „preces ac bona opera viventium prodesse defunctis,“ [9]) „sanctos nonnihil apud Deum posse,“ [10]) „horum temporum sacramentalem confessionem fuisse a Christo ipso institutam“ sinat alter alterum „suo sensu acquiescere, donec sacrosancta synodus aliquid expressive definierit.“ [11]) Multi dies festi possunt tolli, „et haud scio, an expedierit nullum omnino festum solenne indici, nisi cujus argumentum exstet in sacris literis.“ [12]) Delectum ciborum ac jejunia non induxit ecclesia nisi ad sanitatem corporis et animi. Hic igitur nullus alium dijudicet. [13]) Episcoporum constitutio-

---

[1]) de sarc. ecc. conc. l. c. p. 92.
[2]) ibid. p. 93.
[3]) ibid. p. 26.
[4]) ibid. p. 93.
[5]) de sarc. ecc. conc. l. p. p. 91.
[6]) ibid.
[7]) ibid. p. 93.
[8]) ibid. p. 94.
[9]) ibid. p. 95.
[10]) ibid. p. 96.
[11]) de sarc. ecc. conc. l. c. p. 100 simil. p. 102, p. 104.
[12]) ibid. p. 106. [13]) ibid.

nes, „si displicet legis vocabulum, amplectamur tamquam salubria consilia.“ [1])

Sic in ecclesiae constitutionibus legum naturam attenuans, sed earum ad pietatem utilem usum urgens etiam iis reddit acceptabiliores, qui leges humanitus datas oderunt.

Si haec sua consilia observentur, quibus tamen ecclesiae decisionem nolit praecipere [2]), atque concordes omnes synodum expectent, pollicetur, Esaiae verba impletum iri: „et sedebit populus in pulchritudine pacis et in tabernaculis fiduciae et in requie opulenta, jamque simul omnes uno ore nobis invicem gratulantes dicemus: quam amabilia tabernacula tua Domine virtutum.“ [3])

Postremo hoc libro Erasmus studia irenica verbis publice pronunciatis declaravit; ad vitae ac studiorum finem usque provenerat. Sed elucet id quidem: idem animus fuit pacificus, idem citra ecclesiae auctoritatem ecclesiae reformandae desiderium, eadem persuasio, hanc reformationem praecipue atque primo in moribus corrigendis consistere debere, dogmata minoris momenti esse, quae ex hoc libro cognoscuntur et quae ejus opinionum ante Lutheri natam causam conceptarum principia sunt. Omnino mutatus rerum status id quidem apud eum effecit, ut somnia illa evanescerent restituendae perfectissimae mundi formae, [4]) ut contentus esset, si repararetur tolerabilis rerum status, ut adversus eos, qui praecipitarunt omnia, ecclesiae leges et cerimonias non omnino vituperaret, quamvis etiam tunc praetenderet: „cerimoniae ab hominibus inductae cedant, quoties harum occasione periclitatur evangelii pietas,“ [5]) ut etiam magis quam antea ecclesiae auctoritatem contenderet. Sed in universum doctrinae Erasmi sub vitae fine fuerunt eaedem, quas circa annum 1517 in se stabiliverat. Ac si postremo hoc irenico libro eum concordiae felicitatem paene lyrico motu decantantem audimus, eandem vocem cognoscere nobis videmur, quae in „Querela pacis“ primo et ante multos annos tam ardentibus verbis pacem praedicavit.

---

[1]) ibid. p. 107.

[2]) de sarc. ecc. conc. p. 107.

[3]) ibid. p. 111.

[4]) de sarc. eccl. conc. l. c. p. 108—109 Novam illam ac seditiosam doctrinam communis possessionis hominum fortunarum improbat, quam rem antea pristinae ecclesiae respondentem laudaverat. (Belli detest. fol. C_2). Antea bella omnino evitanda esse censuerat, quum christiana religio ea vetaret, nunc Alberto Pio concedit: „Fateor me quaedam odiosius scripsisse ad christianos a furiis bellorum deterrendos. Fateor concedendum (belligerare sc.), si vel ingens urget necessitas vel insignis invitat utilitas eaque honesta.“ Hic judicii „inconstantiam“ confitetur. cf. Er. Apologia adversus Albertum Pium. p. 272. ed. Basileae 1531.

[5]) Apologia adversus Albertum Pium p. 122.

Sed ut antea, ita etiam his Erasmi verbis homines non admodum movebantur. Nam colloquio, quod Pflugius insequente anno 1534 Lipsiae habendum curavit, ut paci opera navaretur, nihil effectum est. [1]) Ac quamquam Romae serio spem fecerunt concilii tam diu expectati [2]) habendi, quamquam ipse papa Paulus Erasmi auxilium ad hoc negotium adhibendum blandis literis flagitavit eumque ad concilium invitavit, [3]) quamquam Romae cardinales quidam rem praecipue Erasmo deligendam censuerunt, [4]) attamen Erasmus non vidit, quomodo concilium esset coiturum „in tanta principum et regionum dissensione.“ [5]) Neque vanus fuit ejus metus, nam ipse mortuus est, priusquam certi quidquam de hac re definitum esset.

Qui rixandi cupiditate ardebant, ii ob eius mortem laetos sustulerunt clamores, [6]) qui autem sincero animo ecclesiam quietam et reformatam volebant, ii tristes sentiebant firmum sibi adminiculum ruptum esse. [7])

„Luge ecclesia, quae cupis redire
Ad primordia pristini decoris“

hisce verbis sociorum aliquis ejus mortem deplorat. [8])

Neque tamen mortuo Erasmo emortua sunt ejus studia irenica, Pflugius atque praecipue Wicelius in iisdem perseverabant.

Habemus Amsdorfii testimonium Wicelium multa eorum, quae docuit, debere Erasmo, [9]) atque Wicelii libri probant eandem rem. Wicelius illud consilium ad effectum perduxit, quod Erasmus ceperat, quodque aliis notum erat, [10]) Dialogo sententiarum pacificarum longius explicandarum describendique, quam male ecclesiae consulerent ii, qui contraria agerent. [11])

---

[1]) Jansen, Julius Pflugius, dissertatio Berolinensis 1858 p. 25.

[2]) Er. epp. p. 1496; p. 1509.

[3]) Er. epp. p. 1501—2 (31 Maji 1531 Paulus III Papa Erasmo).

[4]) Er. epp. p. 1496.

[5]) Er. epp. p. 1509 (a. 1535, 24 Aug. Erasmus Latomo).

[6]) Et etiam Romae eius libri ac studia mox aliter dijudicata sunt, Paulus IV Erasmi libros concremandos curavit. (Schellhorn: Amoenitates literariae V. I. p. 112).

[7]) Amerbachius 1537 Baumgartnero scribit: „Utinam concilio oecumenico, quod indictum novimus, adesse potuisset, non parum is ingenii sui dexteritate, judicio indicibili ac perpetua illa in evolvendis veterum theologorum commentariis lectione exercitatissimus ad incendium illud dissensionum extinguendum adjumenti attulisset.“ Catal. l. c. fol. A_3.

[8]) Epitaphiorum libellus fol. M_4 in Catalogis l. c.

[9]) 28 Jan. 1534 Amsdorfius adhortatur Lutherum, ne Wicelio, qui nuper librum irenicum scripserat, responderet, sed statim Erasmo, quum Wicelius hoc per omnia auctore uteretur. cf. de Wette V. IV. p. 506—7 et Walch Lutheri Opp. V. XVIII p. 2504.

[10]) 1524 scribit Paulus Volzius Erasmo: „O si tuus propediem prodeat cum Eubulo Thrasymachus“ (Spicilegium XXIII p. VI).

[11]) Kampschulte, de Wicelio p. 22 seq.

Hujus dialogi institutum in universum simile quoque est Erasmi consilio. [1]) Tum in Wicelii libris omnes illae praecipuae Erasmi opiniones inveniuntur: auctoritatem ecclesiae non rumpendam [2]) neque restaurandae primaevae purioris ecclesiae [3]) studium relinquendum esse; plurimi momenti bonos mores [4]) esse, minoris dogmata paullatim ex primae ecclesiae simplici doctrina aucta. Denique illud Wicelii studium, quo postea ductus pacificationis et reformationis negotium neglectis ecclesiae proceribus rei publicae gubernatori, imperatori, tribuebat [5]), jam in Erasmo invenitur, [6]) qui adjuvit ducem Juliacensem ita ordinantem sui ducatus res ecclesiasticas, ut papae et episcoporum auctoritas omitteretur, ut parochi ipsi, quibus ordinationes impositae sunt, non audirentur, qui semper nominat imperatorem quoque, ubi populum adhortatur, ut ecclesiae reformationem ab iis expectet, quibus jure divino haec res concedenda sit.

Et certo etiam apud alios viros Erasmi studiorum auctoritas amplius valuit. Cujus rei vestigia inventa esse videri possunt in libro illo Ratisbonensi, qui ex eodem pacifico animo profluxit, quum ibi ea ipsa ecclesiae significatio reperiatur, quam Erasmus usus verbis psalmi 83 „in quo divinus ille spiritus mire nobis commendat ecclesiae concordiam,“ [7]) in libro de sarcienda ecclesiae concordia adhibuerat, illud scilicet nomen: „Magna domus.“ [8]) Forsitan quis dixerit, esse rem parvi momenti, sed considerentur haec: hoc verbum Irenicis singulare mansisse videtur, quum protestantes illud mutandum voluissent, atque res tanti momenti haberetur, ut margini libri haec verborum mutatio adscriberetur. [9])

In eodem libro de sarcienda ecclesiae concordia Erasmus, ut de justificatione certamen componeretur, duplicem justificationem statuerat: justificationem sola fide acquisitam, igitur imputatam atque justificationem bonis operibus effectam, igitur

---

[1]) Dividitur in libros tres, quot libros quoque Erasmus componere statuerat; habet quinque personas colloquentes, dum Erasmus solum tres habet, sed his tribus Erasmi personis tres Wicelii omnino respondent.

[2]) Catholicum immo „Catholicotatum“ se vocat. cf. Kampschulte: De Wicelio l. c. p. 9.

[3]) Kampschulte de Wicelio p. 19.

[4]) Kampschulte ibid. p. 20.

[5]) ibid. p. 38.

[6]) Responsio Erasmi ad epistolam apologeticam etc. l. c. fol. H_5: „Non succedet ecclesiae correctio, nisi a summatibus orietur. Id solus pontifex ac Caesar praestare valent“ etc.

[7]) de sarc. ecc. conc. l. c. p. 4.

[8]) ibid. p. 79; p. 58; p. 60.

[9]) Liber Ratisbonensis Artic. 6.

non imputatam. [1]) Haec eadem de justificatione sententia postea nonnunquam in valore erat, praecipue apud pacificum Gropperum. Ac quamvis Gropperus, ut Doellingerius [2]) dilucide demonstravit, ea re adductus esset, ut imputatam justitiam praetenderet, quod in Pighii de peccato originali opinionem discesserat, attamen ad statuendam duplicem justitiam Erasmi exemplum facile ei ut aliis viam monstrare potuit.

Campus est plenus suspicionum et conjecturarum, in quo hic acquiescimus, et maxime ea de causa, quod historia studiorum irenicorum in Lutherana causa adhibitorum parum tractata est. Fortasse posthac vestigia hic inventa longius sequi nobis eveniet.

---

[1]) De sarc. ecc. conc. l. c. p. 94 — „distinguamus justitiam repurgantem, mentis nostrae domicilium“ — de hac autem antea dixit, eam soli fidei tribuendam esse („concedemus fide justificari hoc est purificari corda credentium“ p. 94) — et justitiam ornantem eam bonis operibus.

[2]) Doellinger, Reformation l. c. V. III. p. 308—312.

Excursus.

De origine ordinationum, quas dux Juliacensis ann. 1532 et 1533 evulgavit.

Nunquam dubitabatur, quin Erasmus non omnino alienus fuisset ab illo negotio, quo ducatui Juliacensi d. 11. Januarii a. 1532 et d. 8. Aprilis a. 1533 ordinationes ecclesiasticae imponebantur. Et jam Lutherus de priore ordinatione judicans: böß teutſch, böß Evangeliſch; alles was von Erasmo kommt, iſt ſo voll theologie, als mein Femoral voll Pfeffers"[1]) non obscure Erasmum hujus ordinationis auctorem appellat. Sed postea fortasse solus Steinen,[2]) qui priorem ordinationem adfert eique adscribit: „Copia Des. Erasmi" etc., ausus est, tam distincte et directe aliquid de ordinationum origine praetendere; in universum adhuc incertae haerent opiniones de ea re, quo certo modo Erasmus ordinandis rebus ecclesiasticis ducatus Juliacensis operam navaverit et utrum prioris an posterioris ordinationis componendae particeps fuerit.

Ii, qui postremo de hac re disseruerunt, Jacobson[3]) et Cornelius,[4]) opinantur Erasmum solum posteriori ordinationi componendae studium attulisse[5]), atque Cornelius[6]) maxime verisimile esse arbitratur, Erasmum eam ordinationis posterioris partem composuisse, cui in contextu titulus adjunctus est: „Erklärunge der Gebäder".[7])

Adversus hosce viros postremo nominatos censeo, redeundum esse ad Lutheri opinionem de prioris ordinationis origine habitam.

Habemus epistolam quandam Vlatteni a. 1533 (d. 3. Maji) Erasmo scriptam,[8]) in qua mentio fit „consilii prudentis et salutaris" ab Erasmo duci Juliacensi traditi, atque e fragmento illo epistolae, quod partem consilii theologici ad consopiendas rixas dati esse cognovi,[9]) apparet, illo consilio, de quo Vlattenus loquitur, contenta fuisse certa proposita de certis rebus theologicis ad eundem finem facta. Postquam enim in hoc consilio ad singula descendens explicavit, quo modo de quibusdam rebus

---

[1]) Jacobson l. c. p. 20

[2]) ibid.

[3]) ibid. p. 18—23.

[4]) Cornelius l. c. p. 165 seqq.

[5]) Jacobson l. c. p. 21 annot. 12 judicat: „vielleicht beziehen ſich alle Berichte der Theilnahme des Erasmus nur auf die Letztern" etc.

[6]) Cornelius l. c. p. 167.

[7]) Scotti l. c. p. 71—82.

[8]) Spicilegium XVII p. XIV—XVI.

[9]) cf. dissert. p. 35 seqq.

differentiae auferri possent, dicit: „hoc consilium secutus est dux Iuliacensis et fatetur prospere cedere.“ [1]) Ex his verbis consequitur, etiam in consilio duci Juliacensi dato similia contenta fuisse proposita, ac quae in fragmento illo continentur, certos articulos ad componenda dissidia theologica allatos. Talia autem consilia Erasmo propria solum inveniri possunt in priore ordinatione; nam in posteriore componenda ita adhibita est prior, ut prioris statuta repetantur et solum amplificentur.

Saepe ordinationum ipsa verba congruunt, ut in hoc loco:

„Und nachdem das Vater unser van unserem Herrn uund erlöser Jesu Christo uns gelert und gegeven, in wilchem alle nötturft eynes jederen Christen verfasset, soll sulchs mit bestendigem gegen Got vertruven gebeden und dem gemeynen man mit warem verstande (wie der dan ouch van uns in druck gestalt) erkliert werden.“ [2])

„Ind nae dem dat vater onser van onserm Herrn ind erloeser Jesu Christo ons geleiert ind gegewen, in wilchem alle noitturft eynes jedern Christen verfat, dat sulchs mit bestendigem tegen Gott vertrouven gebeden ind den gemeynen Man mit warem verstande erkleret sulle werden.“ [3])

Itaque repetita solum et amplificata prioris ordinationis verba non possunt efficere proprium consilium.

Ob hanc rem et quum in universum non facile credi possit, laborem tam exiguum ab aliis Erasmo tributum atque ab illo perfectum esse, ad primam ordinationem componendam Erasmi consilia adhibita esse necesse est.

Quomodo hoc factum sit, ordinationis prioris contextus docet. Ordinatio enim continet maximi momenti locum, qui certo ex Erasmi ipsius verbis in linguam Germanicam traductis et ad personam Erasmi pertinentibus constat. De precationis Dominicae intellectu loquens dicit ordinatio: „wie der dan ouch van uns in druck gestalt.“ — (vide supra). — Hoc de Erasmo potuit praedicari, qui scripsit librum de precatione Dominica, ad quem solum hic locus pertinere potest. Quum igitur hic etiam ad personam Erasmi referenda verba in ordinationem recepta sint, concludi potest, [illegible] ceteras quoque consilii partes ad verbum in ordinatione esse, immo [illegible]mum ordinationis auctorem esse.

[illegible]et autem putari, etiam in componenda altera ordinatione Erasmum [illegible]patum fuisse, posset specialiter praeter nostram retineri Cornelii senten[illegible] nisi obstarent haec: Erasmus ipse et Vlattenus loquuntur solum de „c[illegible]io“, nunquam de consiliis compluribus datis. — Deinde accurate [illegible]ctus alterius ordinationis contextus hanc opinionem impedire vide[illegible]rior enim ordinationis pars, [4]) quam Cornelius quoque Erasmo no[illegible]bit, eo sono composita est, qui non Erasmo sed auctori prac[illegible]litice agenti respondet, statuta continet ad disciplinam publicam [illegible] quale est illud: „warsegger“ et „wedderwicker“ [5]) in ducatu Iu-

[illegible]rasmi epp. p. 1892.
[illegible]otti l. c. p. 58 (prioris ordinationis verba).
[illegible]id. p. 72 (posterioris ordin. verba).
[illegible]otti l. c. p. 62—71.
[illegible]. p. 70.

liacensi non tolerandos esse. Ab hac autem priore parte posterior non facile separari potest, quum simpliciter prosequatur explicationem statutorum prioris ordinationis priore parte inceptam, quumque in primo posterioris partis articulo expresse [1]) ad priorem delegetur. — Denique ordinatio posterior Erasmo ut incognita mittitur a Vlatteno, a Carolo Harsto in latinam linguam transfertur atque Erasmus de ordinatione ut de re adhuc incognita loquitur apud Vlattenum, cui de hac re nihil potuit dissimulare, quum Vlattenus sciret ea, quae ad illum pertinentia Erasmus fecerat. [2])

Constat igitur prioris ordinationis auctorem Erasmum fuisse, neque verisimile esse, posterioris ordinationis componendae eum participem fuisse.

---

[1]) ibid. p. 71.

[2]) Erasmus d. 25 Julii 1533 Vlatteno scribit: „Legi ordinationem illustrissimi ducis“ etc. (Er. epp. p. 1759).

LIBRARY OF CONGRESS
0 003 097 557 1

LIBRARY OF CONGRESS
0 003 097 557 1